MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

IX.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

KILENCZEDIK KÖTET.

PEST, 1860.
EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

VERANCSICS ANTAL

M. KIR. HELYTARTÓ, ESZTERGOMI ÉRSEK

ÖSSZES MUNKÁI.

KÖZLI

SZALAY LÁSZLÓ

M. AKAD. R. T.

HATODIK KÖTET.

VEGYES LEVELEK.

1538–1549.

PEST, 1860.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

Pest, 1860. Emich Gusztáv M. Akad. nyomdász.

ELŐSZÓ.

Verancsics Antal összes munkáinak jelen hatodik kötete, a nagyjelességü tudós és államférfiú vegyes leveleinek első részét foglalja magában. Mint a testvéréhez, Mihályhoz, intézett bevezető levélből láthatni, epistoláit maga Verancsics gyűjtötte kiadás végett együvé, s én itt azon rendben teszem közzé, melyben általa összeirattak. A chronologiai rend szerint első helytt a XXII-dik szám alattinak kellene állania,*) a XXI-diknek pedig a XXVI-dik után jutna hely; de én annyival is inkább felbontatlanul hagytam a szerző által választott sorozatot, mivel a chronologiai rendtől való eltérés az említett számokra szoritkozván, szerző ez irányban is gondoskodott a történetvizsgálók igényeinek teljesitéséről.

Verancsics levélgyűjteményének négy kötete őriztetik a nemzeti muzeum kéziratai között 1681. fol. lat. jegy alatt. Katona innen irta

*) Azon esetre pedig, ha a Joviushoz adott levélnél a kelet éve: ‚MDXXXIIII‘ nem iráshiba, MDXXXVIIII. helyett, miként a szövegben — mit ide figyelmeztetésül jegyzek — ki is igazitottam: akkor a XVII-dik szám alattit illetné az elsőség.

át Historia Criticájába Verancsics számos leveleit, s jelen kötet valamennyi számai is innen vétettek, az LVII., LXXXIV. és LXXXV. kivételével; ezek közűl az első szintén a nemzeti muzeum egyik kézirati codexéből, mely 425. fol. lat. jegyet visel, s melyből első ízben Kovachich a Scriptores Rerum Hung. Minores, I. kötetében tette közzé, iktattatott ide; a második, Verancsicsnak mélt. Deáky Zsigmond püspök és magyar akademiai tiszt. tag által velem közlött győri codexéből, a harmadik ismét a nemzeti muzeum kéziratgyűjteményéből (422. fol. lat.) van kiírva. Honnan vétettek legyen a toldalék okmányai, külön mindeniknél fel van jegyezve.

Az ívek átnézése alkalmával tetemesebb sajtóhibákat nem találtam; de figyelmeztetem az olvasót, hogy nehány példányban az oldalt álló keletnap az I. számnál hibásan van: 1539. febr. 18-án, e helyett: „1539. jan. 21.“; a II.-nál: 1538. mart. 17-én, hibásan e helyett: „1538. febr. 14-én.“ Pest, nov. 24-én 1860.

Sz. L.

ANTONII VERANCII EPISTOLAE.

I.

Mihály testvérének Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Wrancio fratri S.

1539. jan. 21.

Diu est, frater, quod . . . . *) epistolas, quas accura . . . . . . itatione scribo, ... andasque et in librum . . . . ac luce, ut ais, dignas elucu . . . curarem; praesertim quod his de rebus ac tumultibus Hungariae et Transsylvaniae multa, donec tu in Italiam et in Gallias excurris, memoraverim. Obsequor, vides, honestissimo, et quidem pleno amoris desiderio tuo. Sed vereor, ne cum humiles, indisertae, inelegantes, parum latinae, nimis verbosae, rudes, inpolitae, informes, nec ea . . . . itate sint, ut saepe relegantur, et arroganter . . . . . . posteritat . . , neutiquam tanti . . . e judicer, et his epistolis meis, ... diem exaratis, ut . . . . . ensibus olim, usque, ... ive locus exista . . . . . . passim multa docti . . . . . sertim nostro aevo et incudi . . . . que eadem ratione remoto pudori . . . . atque haberi cupimus. Quo fit, ut lectores nostri, alii risum alii somnum saepe

*) A papiros az óság miatt rongyolva.

vix continere possint. Verum quid, quaeso, juvat, totos dies ac noctes ea in re desudare, et omnem operam in librum contulisse, qui velut pictura aut imago quaedam semel aut bis visa intuenti satietatem offerat, nec . . . se reliqui fecerit, . . . saepius homines ad videndum invitat? Etenim nisi genium liber habuerit, frustra quis labores, vigilias ac foetus suos huic quasi diuturnitatis suae ac nominis custodi crediderit. At ne refragari tibi et ipse mecum dissimulare videar, quum id equidem non invitus facio, ad quod cogi honestius omnino esset, annuo voluntati tuae vel eo solo argumento, et quidem vulgari ductus: nullum librum adeo humilem, adeo trivialem esse, in quo, quod placeat aut addiscas, non invenias, juxta carmen Martialis: „Triginta toto mala sunt epigrammata libro, si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.“ Addo praeterea humanae infirmitatis . . . . cuique sua placere, omnino natura ipsa posteritate, nec cujusquam genium comtemn . . . . nisi quod delirat et a recto discedit. Caeterum phrasim ac stylum omnium scriptorum diversum multum habere, et scientiam artemque ex institutione hominibus accedere, modum dicendi unicuique suum ac proprium cum natura insitum et ingenitum esse, nemo it inficias. Nam si infinitorum authorum scripta percurras, judicio doctorum alii erunt breves, obscuri, insuaves, sine sententiis, nullo lepore, antiquarii, scabri, difficiles, exoleti et Delii, ut ajunt, natatoris indigi. Alii prolixi, disjuncti, difflui, vani, affectati, nec tamen cum mille calamistris satis culti. Quidam vero pressi, maturi, politi, ornati, urbani, dulces, et in omni ferme parte elaborati ac luculenti. Multi inflati, tumidi, enerves, elumbes, pleni impetu, fastu, ostentatione. Demum hic jejunus et humilis, ille

altus et copiosus, nec duos a tot saeculis reperies, quibus simili oratione ac stylo favit Minerva. Imitatione autem Ciceronem, Sallustium, Caesarem, Livium accedere multis datum, assequi et evadere adhuc nemini. Porro sic hae nostrae quoque epistolae si suis naevis laboraverint, nec Ciceronianam aut Plinianam redolebunt fragrantiam, varietati ingeniorum ascribas, velim, et eas alioqui pro genii sui conditione voluisse saltem latine loqui, si nequiverint, existimato. Quicquid igitur, frater, id est, quod me subire cogis, do fraterno amori tuo, do humano utriusque nostrum studio, et epistolas meas licet sine nitore, sine sale, neque Mentorea aut Phidiaca manu expolitas collegi tamen et in ordinem congessi. Eas doctis legendas non obtrudo; eruditiores, cultioresque eruditi, et quae, ut dicitur, quadrigis vehantur, invenient. Meae suis terminis et sua pellicula contentae sunt, eruntque testimonio saltem, otio nos ac desidia aetatem non egisse, si nullo numero, nullo loco censebuntur. Vale. Budae. XII. kal. Februarii MDXXXVIIII.

II.

Brodarics István váczi püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stephano Broderico Vaciensi episcopo S.

1538. febr 14. Tametsi deberem crebriores ad te dare litteras, praesul optime et de me saepe benemerite, quem filiali ac vigilantissima observantia prosequor et colo, ut ex me quoque nonnihil eorum intelligere posses, quae nunc in aulam quaeque dies afferat; tamen quum ego nonnisi vulgaria, et quae in triviis circumferuntur, id temporis habeam, quibus certe indignum esset aures tuas offendi, per me potissimum: minus multa ac non ita saepe scribo, quum alioqui te tum regiis, tum multorum aliorum litteris, ad quos res alicujus ponderis perveniant, quotidie certiorem fieri non dubitem. More itaque solito salutem tibi a Deo Optimo Maximo et omnem optatum statum cum felicitate, annosque quam longissimos, verum quoad taedium non afferant, precabor. Meam deinde operam, studium ac servitutem propensissimo animo, dudum alioqui tibi addictam offero et commendo, quae quidem in hac parte omni libertate mihi charior est, quum illa uteris. Ea ut saepe uti non dedigneris, oro, obsecroque plus quam vehementer. Vale. Segesvarii XVI. kal. Martii MDXXXVIII.

III.

Bogaucius Miklós dumniai püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Bogaucio episcopo Dumnensi S.

1538. mart. 6.

Credo te non ignorare, antistes venerande, quod verae amicitiae, nisi novis ac ferme quotidianis officiis, beneficiisque interdum foveantur, ita ut incrementum sumant identidem, facile dissolvuntur. Id etsi nondum nostram attigerit morbi, quam sempiternam esse percupio: tamen nescio quo pacto brevissimum ad extinguendam occupasti compendium, dum desiderii ac petitionis meae assiduae saepe oblivisceris, quae quidem vix decem numorum aureorum utrique nostrum negotium facesseret. Est enim officium, quod poposci, non beneficium. Verum si illud praestitisses, beneficium mihi et quidem tanto majus, cumulatiusque exstitisset, quanto celerius a mora absolvisses, nec tot a me querimonias factas aure surda exspectasses. Utcunque tamen voluisti, fiat. Deinceps ego te non urgebo; forsan gratior ero, si minus utar opera tua. Atqui vereor, ne in rubiginem necessitudo nostra impingat, posteaquam illam exercere desierimus. Satis itaque nunc de his, de quibus nec in posterum quoque verbum faciam. Nihilominus colam te, et omni observantia habebo, amare certe, ut solebam, nequaquam potero, ubi abs te negligi videor. Vale. Segesvarii pridie non. Martii MDXXXVIII.

IV.

Tarlowski Szaniszló premisli püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislao Tarloni episcopo Praemisliensi S.

1538. mart. 31. Quamquam nullum mihi argumentum scribendi occurrebat, quod aut tua aut mea interesset, recordari tamen illorum, quos dudum amandos, colendos, observandosque nobis proposuimus, non tam debiti nostri muneris esse censeo, quam suave jucundumque futurum, si saepius id fecerimus. Quum enim superiore abhinc jam secundo anno essem Viennae Pannoniae cum oratoribus nostris, qui de pace nostra Hungarica apud serenissimum Romanorum regem agebant, et te ibidem legatum invisendi, cognoscendique gratia convenissem, quem de fama dudum, de facie nondum cognoveram, tanta me humanitate ac hilaritate vultus, animoque lucidissimo, ut conjicere licuit, et excepisti et alloquutus es, ut vix notissimum et charissimum hominem majore potuisses, quod ego nullis antea nec officiis nec meritis apud te promerueram. Verum omni amore atque obsequio, si quod a me in tanti viri ac praesulis usum abire possit, statui eundem sempiterne prosequi, et jussis ejus semper praesto esse, accedente huic scintillulae devotionis erga te meae ingenti igne laudum et magna vi praeconiorum, quae de virtutibus tuis Erasmus Gierlachouschy meus necessarius non raro, sed semper, nec apud me solum, sed apud omnes, quibuscum optimi

quique nominari cupiunt, libens ac sedulo excitat et diligenter enumerat. Id itaque quicquid est, quod a me tuae amplitudini offertur ac dicatur, ex intimo cordis penetrali procedit, rogoque, accipe paterno animo, et me complecti ac in numerum benevolorum tuorum velis assumere. Homines enim sumus, et sicut amare optimos jure quodam naturali inducimur, ita ab eisdem amari vehementer cupimus. Vale. Albae Juliae Transsylvanae pridie kal. Aprilis. M. D. XXXVIII.

V.

Majlád István erdélyi vajdának Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stephano Maylad vaivodae Transsylvano S.

In tanta rerum hujus regni trepidatione propter hostilem Turcarum adventum, equo uno non imbecilli, non exiguo, non deformi, sed forti, pulchro, justa magnitudine, vegeto, et personae meae apto plurimum indigeo. Hanc abs te nec donari cupio, ne impudentiae perstringar, nec certo pretio deposco, ne tamquam cum mercatore videar agere, tuaeque dignitati per imprudentiam derogem. Verum si uno ex equitio tuo electiore pro munificentia vaivodali me dignaveris, eumque nunc per hominem istum meum miseris, quicquid oneris mihi imposueris, esto quod quinquaginta aureis aestimetur, nullum equidem detrectabo. Si autem id mihi ob instantis temporis iniquiorem conditionem condonabis, ego nihilominus operam dabo, ut

1538. apr. 13.

imposterum per occasionem tum honoris, tum officii mei recorder, et liberalitatem, gratiam, benevolentiamque tuam angusto ac dubio tempore in me collocatam, memoria non praeteream. Oro itaque, velis talem mittere, cui vitam meam credere secure possim in periculo; quemque mihi caeteri omnes amici mei pernegarunt, tu, quem domini loco habeo, dare non recuses, praesertim cum petita recusare magnis viris indecens ac humile esse perhibetur, eoque magis si nihil citra honestatem petatur. Sed ne effrons esse et jam extorquere videar velle, quod facilius quidem dabitur, quam ut pluribus verbis petendum putem, hoc unum addam, me cum fiducia petere, ex eo, quod inter caeteros regni hujus proceres, ad quem in re mea, eaque sane summe necessaria ac difficili certiore spe accurram, praeter te habeo neminem. Ne igitur ego fallar, tuque ut magnitudini tuae ista munificentia cumulum et gradum adjungas, meque deditiorem tibi efficias, quem posco, mitte jam cornipedem, et recte valeas. Albae Juliae Transsylvanae idibus Aprilis MDXXXVIII.

VI.

Mindszenti Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Verancius Thomae Myndzentino S.

Odiosiores, ut ais, colloquutiones, quae inter me 1538. máj. 4. et Franciscum Baccium proxime contigerunt, ex equisonum nostrorum temulentia scito provenisse, nec arbitror eorum rixas ac jurgia tanti debuisse fieri, ut nostras succendissent, et amicitiam, quae mihi secum intercedit, aut violassent aut exstinxissent. Quandoquidem illum ego semper per Deum sincere amavi ac magni feci, et si vel timor vel adulatio non est suspecta, etiam colui. Quod ut confirmem, et integritatem meam, qua in amicos esse soleo, defendam, nunc etiam inter rixas eum observo, propter ejus non mediocrem eruditionem, meque idipsum facturum, mea constantia ductum, posthac quoque pollior, nisi me per calumniam ab se repulerit. Semper enim turpe duxi et illiberale, cito aut exili aut vili de causa ab amicitia discedere, quamquam et ipse praeceps in iram est, et ego in amicis ferendis pertinax, quamdiu non contemnar. Sed haec forsan dies et amici lenient, quae natura corruptior exacerbavit. Caeterum tantum abest, ut in his turbis nomen tuum miscuerimus, ut ne in mentem quidem nobis tunc veneris, quem sciebamus cum archiepiscopo Collocensi dudum in Hispanias profectum. Igitur ne expostules, nec injuriarum nos insimules, velim, mi Thoma, quia nec tu causam nobis

controversiarum praebuisti, nec nos quaepiam tunc carpsimus sine causa, praeter quam nos ipsos. Tui vero amice, ut par est, et memini interdum, et quoad vixero, absentis volo meminisse, praesentem vero ex animo diligere, quod versa vice abs te quoque non diffidenter spero. At his omissis, quae nunquam fuerunt, ni malevoli auribus tuis illa instillavissent, rogo interponas te, non enim pudet me amissum amicum recuperare, et nos utrique nostrum restituas. Si quidem pulcherrimum et christianum est, homines injuriarum oblivisci, errata corrigere, et dissidentia in unitatem revocare. De reditu tuo incolumi, quod primum debebat esse, gratulor, et felicitatem tibi precor, ac ex animo operam meam commendo. Vale. Thordae IIII. non. Maji MDXXXVIII.

VII.

Jakobinus Jeremiásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Hieremiae Jacobino S.

1538 máj. 8. Adagium est, multas amicitias silentium dirimere, quod etsi penitus necessitudini nostrae non contigit, nonnihil tamen ob diuturnam absentiam nostram mutuam, quum usu et consuetudine sua caruerit, oblivione jam labi ac cessare videbatur, nisi opportune nuper hic Segesvarii convenissemus, et velut a longo quodam postliminio, non dicam amicitiam, quae alioqui animo meo, arbitror, neque tuo unquam exciderit, sed amicitiam hanc sane nostram jucundissimam, du-

dum Brassoviae plurium dierum spatio initam et constitutam, convictu atque colloquiis suavissimis in pristinum statum reduxissemus. Quid tum temporis vicissim alter alteri receperimus, existimo te non fugere. Illud tamen omnino praeteriit, quod Stephano Matychnay secretario regio, oratori ex Transalpinis in aulam redeunti, litteras ad me dederis nullas. Porro, si te tam cito aut immemorem mei effectum esse, praesertim recens inter nos revocata memoria, aut ad me scribere, hominem non solum amicum verum et fratrem pene tuum gravari putarem, equidem stentoreo clamore querer et ad Jovem conciliatorem provocarem, teque tam diu fraternis stimulis lacesserem, donec istud ipsum silentium tuum necessitudinis nostrae crassatorem dirimerem, et vocalem redderem. Nam quod ad me attinet, quamquam facilius invitatus respondeo, quam invitem, invito tamen, doque operam, ut te vel ex hoc a me sincere amari intelligas, meque obnixe contendere, ne ipse quoque, animo tuo effluam, quum tu in meo totus sis. Sed haec expostulatio ne sit tecum mea, an potius litterarum tuarum efflagitatio, tute judices, et pro amicitia nostra expendas. Caeterum si litteras tuas interdum legero, leges crebro et tu meas, ac aeque copiosas et plenas amoris, ut fuerint tuae, idque, ut ingenue de me polliceri non dubitem, ita de te sperare facile inducor. Venio ad Joannem Hontherum virum doctum et clarissimum, de quo nuper plura coram, ac de eo quid scribam? Mihi certe si vel de ipsa fama charissimus est et optatissimus, Deus bone, quantus meae erga eum dilectioni cumulus accederet, si de facie cognoscerem? Dici profecto vix potest, quam valde amicum me, familiaremque esse cupiam. Sed tu illi meo nomine salutem

dices, maximeque efficies, ut me quam maxime diligat, etiam atque etiam rogo; fraternam etiam operam ac studium meum, illaque omnia officia, quibus conjunctissimorum hominum amicitiae solent inviolabiliter, sempiterneque conservari, pollicearis ei, velim. Ad te autem, quemadmonum optaveras, mitto de cervo regis mei versiculos, quorum nuper hic apud me memineramus; si placebunt, amoris atque humanitatis erit tuae, sin minus, nihil mirabor, nam et ipse dignos esse, qui in spongiam incumbant, dudum novi. Saltem itaque vel semel perlegito, et Vulcano dein tradas. Te ut ipsum me amo et diligo. Vale. Segesvarii VIII. id. Maji MDXXXVIII.

VIII.

Porembius Péternek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro Porembio. S.

1538. máj. 8.

Accepi litteras tuas per Erasmum Gyerlachouzchy regis mei secretarium datas, quae mihi eo quidem jucundiores exstiterunt, quo diutius fuerunt exspectatae. Visus sum hoc tempore, quo non mediocriter varia hujus regni fortuna affligimur, maximo gaudio affici, intelligens, te et vivere, et bene valere, esseque optimo loco, et auctum beneficiis ac dignitate conspicua atque insigni. Illo enim triduo, quo Cracoviae persistens nuper in amicitiam tecum concessi, tam fortiter animo meo inhaesisti, ut etiam memoriam tui constantissime, licet me Ister licet te Nilus habeat, vel si quid

distantius dici possit, quoad superero, retinere decreverim. Quod si te dubitare crederem, pluribus argumentis declararem, sed ea nihil aliud essent quam verborum multiplicatio. At demus hoc locorum intervallis, quibus sejungimur, demus necessitudini nostrae, quae in otio, si vera est, esse non debet, et postquam praesente consuetudine frui nequimus, nihil superfluum, neque ab amicitia nostra alienum faciemus, si majore blandientium verborum copia voluntates nostras confirmabimus. Hoc tu certe proximis litteris tuis, tum amoris tum fidei erga me tuae plenis, egregie praestitisti, hoc ipse quoque nunc his meis exhibeo, reddoque benevolentiae erga te meae, perpetuo duraturae firmissimum pignus, et clarissimum testimonium. Ubi autem mones, ne de observantia in me tua in dubium veniam, facis tu quidem amice et ex humanitate, facileque abs te quanti fio, et quam vehementer me amas, perspicio, verum scito, nunquam meum cor ejusmodi ambiguitate fluctuasse, quamquam existimavi te Cracovia excessisse aut vita decessisse, quod nemo unquam ab eo tempore, quo ab invicem discessimus, ubi locorum ageres,nuncium mihi afferre potuerit; quum nullus istinc orator, aut quivis privatus civis ad nos venit, quem de te non quaesierim, litteras vero quot ad te dederim, ipse Erasmus testis sit. Sed nunc tu recte, mi Petre, et dignum amicitia nostra fecisti, quod usuram tanti, tamque diu muti inter nos temporis epistola tua redemisti, quodque ubi esses, et quod mei memoriam retineres, demonstrasti. Si itaque jam alter alteri a mutua quadam oblivione restituti sumus, postquam et ego te canonicum Cracoviensem esse sciam, et tu me Budensem ac Transsylvanum praepositum non ignores, rogo, velis me interdum saltem litteris

tuis invisere, quod ipse quoque vicissim me facturum tibi polliceor. Nec quisquam amicitiam nostram invalidam putet, utpote quae parvis initiis orta, et nullis adhuc officiis beneficiisque, ultro citroque tum datis tum acceptis, aucta et communita fuerit, quandoquidem tanta me humanitate, tanta animi hilaritate ac rei tuae domesticae largitate superioribus annis ex Italia redeuntem excepisti, atque in contubernio tuo honorifice pro voto et conditione mea habuisti, ut te non solum prae caeteris amicis unum potissimum, verum etiam non secus, ac meipsum amem. Par pari itaque referas, et amantem redama, teque a me maximi fieri credas, velim. Vale. Segesvarii. VIII. id. Maji MDXXXVIII.

IX.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Andronico Tranquillo S.

1538. máj. 26. Veteri necessitudine nostra, quam tum patria tum diuturna et fraterna olim inter nos consuetudo conciliavit, plurimum vero moribus tuis candidissimis, ac eruditione et comitate singulari, multaque humanitate, dudum, mi Tranquille, adhortabar, ut ad te litteras darem. Verum, si credis, scito me nunquam intellexisse, quisnam te locus in orbe terrarum haberet, posteaquam Gritteam cladem evaseras, et quam saepissime de vita etiam tua ob varios casus, quibus te actum ferebatur, dubitasse: quandoquidem diu te

nobis et fidiculis Austriaca factio Viennae Pannoniae torserat et carceribus exstinxerat. Quoties ego tunc vicem tuam indolui, quoties tui sum misertus, et maledictis fortunam istam tuam incesserim, quae nullibi adhuc tibi certam sedem constituere voluerit, et surgentem te semper nequitia sua, virtuti quippe tuae non tibi inimica quasi manu colliserit: equidem confido, te, cui animus meus apertus est, vel me tacente perspecturum facile, idque sine dubio crediturum; quum te sincero corde semper amaverim, meque abs te amari non vulgaribus argumentis cognoverim. Nunc vero accepto certo nuncio, te esse in oppido Kesmark, vehementer ipsi mihi et gavisus et gratulatus sum, quod superesses et certe valeres, utererisque tanti viri contubernio ac patrocinio, statimque pro mea in te benevolentia scribendum mihi ad te esse duxi, ut saltem mutuis litteris colloqueremur et una essemus. Habes jam animum erga te meum, habes et voluntatem. Restat, ut te soler, si solandus es, quum et homo sis et humani a te nihil alienum putem. Casus itaque tuos, Tranquille charissime, fer, ut soles, forti animo, virtute tua te sustentes, nec fortunae succumbas, quae natura ipsa debilibus, et iis, quibus infra nihil est, facile parcit, et in suis caudicibus haerere permittit; magna vero ac fortissima quaeque ad oppugnandum sibi deligit, nimirum ut tandem victa a virtute, in summo victorem collocet, quod tibi procul dubio futurum fata tua pollicentur, quae te tam diu in afflictionibus servarunt, si modo infractus perstiteris. Etenim pugnandum tibi adhuc est, ut jam diu pugnas, et vincendum parandumque virtute, quod per fortunam auferri nequit, sciens, haud quaquam tuum esse, quod ipsa tuum fecerit. Sed ne infirmus, fortissimum et pruden-

tissimum moneam, sic habeto: me quicquid id est, ex amore facere, quo te prosequor, omnesque honorum utilitatumque accessiones tibi optare, quas quemque sibi ipsi ab immortali Deo optare decet. Reliquum est: Hieronymo Lasky, oro, commendes me et ita in gratiam ejus restituas, ut quicquid a maligno vel potius mendaci quodam homine ex Francia mali animi in me contraxerat, totum in bonum convertat, efficeque, ut me diligat, quemadmodum, si potest fieri, charissimos soleat; scis me eo etiam tempore ipsum semper coluisse et magnifecisse, quo illi cum avunculo meo non conveniebat, idque memor certe sapientis illius sententiae: ita amicis, inimicisque utendum esse, ut ex inimicis amicos, ex amicis inimicos sciremus nos aliquando habituros; quod nunc videre est inter hunc ipsum Lasky et avunculum meum. Quare si hanc amice amico operam praestiteris, rem mihi oppido gratissimam facies, quia viri ejus ingenium, tam in re litteraria quam in bellica excultissimum, in omnibus negotiis consilium celeritatemque maturrimam, ubi usuvenerit, pro mediocritate mea soleo commendare, si paulo constantior et minus praeceps esset, studeretque parsimoniae, neque ex novis rebus, quas Aloisius Gritti moliebatur in Hungaria, spes suas dum festinat assequi, ingratitudine sese erga Joannem regem infecisset. Nova nulla scribo, quum ipse melius scias, si quae sunt. Sunt autem veteres ignes et incendia, novi vero luctus et angustiae ac mala universa, quae jam inde a clade Mohachiense nobis minitantur, utinam non opprimant. Vale. Thordae VII. kal. Junii MDXXXVIII.

X.

Kalmáncsehi Mártonnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Martino a Kalmancheh S.

Persuasum tibi esse non dubito, magnas me et impensas facere et plurimum egere pecunia, idque propter praesentes tumultus bellicos, quibus tum equi plures tum majus famulitium est mihi alendum, nec mihi ipse deesse possum aut debeo, nec secus facere licet, nisi ex aula secessero, quod quidem nec per principem mihi, nec per avunculum meum, communem praesulem datur. Quare si ullo alio tempore quampiam rem gratam in me contulisti, hanc profecto longe gratissimam conferes, si aurum, ut dicunt, urburarum mearum ad festum divi Michaelis per te accipiam. Quod si praestiteris, omnes veri amoris erga me tui numeros explebis, et amicitiam nostram mutuam immortalem facies, meque magis tuum reddes imposterum, quamsim meus. Vale. Albae Juliae Transsylvanae X. kal. Julii MDXXXVIII.

1538. jún. 22.

XI.

Verancsics Antalnak Andronicus Tranquillus.

Franciscus Andronicus Tranquillus Antonio Werancio S.

1538. júl. 11. Scis meas necessitates, et tu jam in amplissima fortuna es: cuppas et alias res, quas Budae accepisti, vel earum pretium mittas mihi. Quod quidem facies, si bonus vir es, ut hactenus fuisti; et memineris varias vices esse fortunae. Me tibi commendo et omnia bona tibi opto. Vale. Kesmarkii V. id. Julii MDXXXVIII.

XII.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Andronico Tranquillo S.

1538. aug. 1 Binas tuas accepi litteras, quas amore, officio, atque humanitate similes meis exspectabam, neque credebam, te magis ingeniosum in diluendis criminibus tuis esse velle, quam in recuperanda gratia principis, Statilii patrocinio, Wrancii vero amicitia confirmanda cupidum declarare. A me enim in ipso principio, atque adeo in toto contextu litterarum tuarum cuppas intempestivius profecto, quam pro tot officiis meis et tua modestia, reposcis; Statilium fortunae tuae

eversorem, regem fortunarum direptorem appellas; vindictas tuas in Deum, nunc demum Christianus effectus, rejicis; Grittumque, idolum illud tuum amplissimum et spei tuae cornucopiam, indigne, quemadmodum habet epistola tua, peremptum obtrudis ac declamitas. Vide quam opportune, quam egregie pro reditu tuo in Hungariam laboras; quas principi pro gratia nuper per Hieronymum Lasky tibi impetrata gratias habeas; quas Statilio referas, qui te quingentis ducatis a captivitate, jam morti destinatum, et sub carnifice supplicem, redemit. Ad me quod attinet, quam vellem aequius benevolentiam ac studium meum et officia in te expendisses, quippe qui reculas tuas ex hospitio, quo utebaris, custodiae meae, ut jusseras, admissis tribus juratis civibus Budensibus, in domum avunculi mei transtuleram. Duas cuppas, unam sellam turcalem, tapetem unum, trium ulnarum longum, praeterea nihil, proficiscens in Gallias orator, commonito prius eodem avunculo meo, et rogato ut tibi satisfaceret pretio, accepi. Reliquum quicquid fuit, Jacobus frater tuus tamquam ex igne, solius mei nomen praetexendo, eripuit et divendidit, dum caetera omnia, quae apud alios reposita fuerant, utpote proscripti hominis diriperentur. Et quamquam ea, quae velut e naufragio correpta servaveram, tua semper duxi, tibi servavi: ab illa tamen die, qua legi litteras tuas avarissimas et beneficiorum immemores, aculeorum tuorum impatiens, omnia cum aliis in proscriptionem abire permisi, et ne hilum quidem, quod tuum posses dicere, apud me reliquum feci. Tristissimus haec ad te scripsi et invitus, lacessitus tamen; verum quo animo tuas ad me dedisti litteras, eodem has meas accipe. Etenim torserunt me tuae, torqueant et te meae, po-

steaquam non mei, qui te ut me alterum dilexi, sed cupparum, rei externae et periturae memoriam praecipue retinuisti. Vale. Colosvarii kalendis Augusti MDXXXVIII.

XIII.

Bogaucius Miklósnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Nicolao Bogaucio episcopo Dumnensi S.

1538. aug. 10. Quoniam soleo ad amicos meos charissimos eo longiores dare litteras, quo rariores, nostra hujus temporis nova largius perscripta accipe, quae quidem non existimo nova esse, quum jam inde a conciliata Turcae amicitia semper nobis et timenda et exspectanda fuere. Solimanum imperatorem Turcarum omnino irati animi erga nos esse, non dubiis argumentis percipimus, nec alia causa est, quam quod in mutuam concordiam principum christianorum proxime factam, Joannem quoque regem nostrum ivisse, et sanctissimae eorum unitati nomen dedisse, cumque Romanorum rege Ferdinando pacem composuisse intelligat. Quare potiri hoc regno festinat, quo privati, Christiani debiliores reddantur, ipse vero commodius arma ipsorum sustinere atque arcere possit, sciens Hungariae regnum semper christianae reipublicae fortissimum ac indefessum exstitisse propugnaculum. Venire itaque maturat cum ingenti exercitu et bombardarum apparatu, nec tamen, ut ab exploratoribus affertur, habet ultra quam centum quinquaginta millia equitum, janizariorum ad summum octo. Iter per Transalpinos instituit, Moldaviam prius subacturus, deinde in Transsylvaniam cogitat. Una omnium vox est, ibi personaliter

hiematurum, utinam non cum maximo nostro malo. Dicitur etiam jam et sanzachatus ex his provinciis decrevisse, ac alteri duorum filiorum, quos secum in castris duxit, Transsylvaniam, Moldaviam alteri, alias demum aliis simili ratione praecipuis viris dudum subscripsit. Rex noster, qui semper gessit christianum animum, nunc profecto, nec enim ulterius arte hostis duci potest, re ipsa, Deo favente, declarabit, quam male multi Christiani superioribus annis de se senserunt, eique falso conviciati sunt. Omnem ex Hungaria militem, omnes proceres, omnem nobilitatem ad se accivit, relictis Budae, aliisque in locis, exactiore cura conservandis, firmis atque opportunis praesidiis; Transsylvanos ad unum in arma domibus evocavit, et in aciem unam cum eis concessit; Stephano Maylad et Emerico Balassa vaivodis Transsylvanis obstruendi, impediendique materia semitas alpium provinciam injunxit; Brassoviam et Cibinium validas hujus regni civitates externis praesidiis communivit, diffisus Saxonibus; senes, impuberes ac omnem reliquam plebem imbellem atque imbecillem intra urbium, fortalitiorumque munitiones inclusit; fruges et quicquid cujusque generis annonae in campis colligendum rereponendumque superfuerat, cujus hic praesens annus tantam copiam attulit, ut nulli pene admirationi locus sit, exuri jussit, et pabula corrumpere; Moldavum et Transalpinum vajvodam per nuncios induxit, ut illi sese in Transsylvania cum totis copiis suis adjungerent, et ibi Turcam unanimes operirentur, quandoquidem neuter ipsorum per se sufficeret cum eo sine summo discrimine confligere, comprobans id consilii exemplo de jaculorum fasciculo, quo Scylurum quendam virum Scytham ad octoginta liberos usum fuisse accepimus,

quippe quod jacula omnia uno conatu minime possent confringi, singillatim vero nihil facilius; nimirum admonens, communibus viribus cum communi hoste tam potenti ac valido esse congrediendum. Neque dubito, eos conditiones adeo salubres accepturos. Caeterum dicunt Moldavum jam in castris esse cum octoginta millibus hominum, Transalpinum cum totidem. Nos Hungari cum Transsylvanis, si modo Hispanus et Alemanus miles, promissus a Romanorum rege Ferdinando, veniet, cujus adventus jam in quotidiana est exspectatione, ad centum millia armatorum accedemus, quoniam nemo, qui gladium gestare valeant, relictus est domi. In armis igitur omnes sumus, tamquam ultimam fortunam pro fide ac patria subituri. Deus autem, qui jam, ut speramus, Christianorum miserebitur, adjunget dexteram suam, et procul dubio cum Solimano pugnabimus. Istic, ut confidimus, in urbe Roma orabitur ab ecclesia pro fratribus, reddetisque Hungaris saltem hoc genere officii vices gratitudinis, qui a tot saeculis pro Christianitate belligerant et certe belligerabunt, ferroque infidelium, una cum Joanne rege suo malunt interire, quam perpetuo servire tanto tyranno.

Habes publicarum rerum omnium faciem, in his nunc sumus; quae succedent, Deus scit. Ennio Verulano, cardinali, inquam, nostro dignissimo, cui tota nostra familia aeternum inserviet, diligenter me commendare, eidemque quicquid servitute mea praestare possim, oro velis offerre. Eum ita videre desidero, ut neminem mortalium ejus ordinis et sacerdotii desideravi, tanta illius integritas, tantus recti amor et magnitudo animi apud nos percrebuit. Vale. Thordae IIII. id. Augusti MDXXXVIII.

XIV.

Jakobinus Jeremiásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Hieremiae Jacobino S.

1534. aug. 21.

Res hujus regni quo in statu sint, credo te intelligere, quum late in luce versentur, neque jam tegi valent. Caeterum scito, Hieronymum Lasky ab Romanorum rege Ferdinando principi nostro subsidia ducere, et quidem non mediocria, lanzkinektorum, ut nunc dicimus, septem millia, Hispanorum tria, equitum hungaricorum levis armaturae totidem; acceperequae integra stipendia sex mensium, et jam Budam Danubio venisse creduntur. Si non fallemur numero, res nostra erit in vado, nec poterimus non amare, quos nuper adversarios habebamus. Ipse Lasky praevenit eos, compositurus cum rege quanam ratione habebuntur in regno, adhibiturusque certa pretia omnibus rebus, quae tum ad hominum alimoniam, tum ad jumentorum pabula attinebunt, ne quum aderunt, tumultus aliquos licentia militari ex defectu necessariorum, ut externi, cieant cum nostratibus, quibus provisum viderint. Certe largius habitiusque tractari debebunt, si honori ac famae, quae potissimam partem humanarum rerum obtinet, consulere volumus. Ipsorum adventus ad quantam quamque certam spem de victoria animos nostros erexerit, tute reputa. Veteranos enim esse ajunt, et per quorum arma ac virtutem omnia illa praeclara, quae Carolus ejus nominis quintus impera-

tor in Italia gessit, adeptus est. Nos itaque adjuti hoc milite, tam rei bellicae perito, cur pavere non desineremus? vel potius animis nostris vigorem non adjiceremus, si nondum timuimus? Et profecto nemo nostrum est, qui hoc tempore pro fide, pro patria, pro fortunis, pro pulchra libertate ac vita ipsa in certamen cum tanto tyranno descendere non sọlum audeat, verum etiam oppido gestiat, cui servire ut damnosum, ita christiano homini turpissimum est. Duo tamen sunt, quae me terrent. Inaequalitas nostra et justitiae frigida observatio, quibus duntaxat affligimur, depraedamur, propriis sedibus pellimur, et ut cum Propheta dicam, domi nostrae nostram aquam nostra pecunia bibimus. Utinam jugum quoque non subeamus perpetuae servitutis, vindicat enim se Deus, Hieremia frater, vindicat de inimicis suis cum inimicis suis, nec coeci, iram ejus in nos accensam animadvertimus. At dices forsan: castigat filios; respondeo: emendemus nosmetipsos, ne puniat, et in gehennam abjiciat. Haec ad te latius, ne putes me tui oblitum. Honthero denuo me commendes velim, quum primam commendationem homini puto non inhaesisse aut fortasse nimis est cod us sui, quum me promum videt, vel tua culpa intercessit. Si tamen ad me litteras, quas summe cupio, dare voluerit, sciat se eas ad amicum daturum, quem hactenus nulla amicorum cepit satietas. Vale. Thordae XII. kal. Septembris MDXXXVIII.

---

*) Kimaradt a tagadó szó.

XV.

Statilius János erdélyi püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio, episcopo Transsylvano, avunculo suo S.

Mox heri a prandio equitaturus rex, et jam alli- 1538. aug. 26 gatis calcaribus, venit Petrus Pythar cum Valaccho legato a Transalpinorum vaivoda, qui subito auditus, pro re certissima affirmavit, caesarem Turcarum X. kal. Octobris*) cum toto exercitu Danubium trajecisse ad oppidum Obluciza, et pontem, ne cuipiam aut sequi aut abscedere fas sit, dissolvisse, jamque eum in Moldavia esse, et Petrum vaivodam passim omnia, qua transitum caesar est habiturus, inundio conflagrare incepisse. Haec ab ipso rege accepi. Reliqua, si quae sunt graviora, intra consilium supprimuntur. Petrus ipse Pythar ea ipsa hora, qua est auditus, absolutus est et dimissus una cum oratore. De Petro autem Perenny, quae ut vulgaria, nudius tertius scripseram, hodie certo nuncio fuere confirmata. Porro haec fato quodam aut regni hujus, aut regis Joannis fiunt, ut nunquam, praesertim vero tunc, quum externa bella patiatur, internis turbis careat Hungaria. Nos, ut vetus mos est nationis hujus adversus praepotentes et subitos hostes, jam veru sanguineo passim circumlato, viritim ad insurgendum excitamur, et ad decretum locum armati evocamur, quo Solymano numerosiores et validiore manu, utpote pro salute communi

*) Tollhiba „septembris" helyett.

pugnaturi, occurramus. Vale. Thordae XXVI. die Augusti MDXXXVIII.

XVI.

Statilius Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo suo S.

1538 aug. 28. Hodie Hieronymus Lasky sub ipso prandio, inpransus tamen discessit, adeo properabat. Adjunxit illi regia majestas, ad mille boves, hesterna die datos, alios mille, et cum redierit cum gentibus, daturum se incunctanter recepit tria millia numeratae pecuniae, idque ratione antiqui cujusdam debiti. Nunc discedenti dedit trecentos, ut semper, quando in aulam suam veniat, corradet aliquid, quod perseverantibus et veteranis, summa fide cognitis et constantia, quam multis negatur. Jussus est cum milite hoc, quem ducit a rege Romanorum, ad XVII. diem in Transsylvania constitui. Accurate rogatum volui, ut litterarum tuarum diligentem curam velit gerere, nec longa in mora apud se detinere. Omnia summa, quae in gratiam tuam sciet efficere, promisit se facturum. Rex autem proximo die lunae Colosvarium proficiscitur, ubi ad festa natalis Domini commorabitur. Ego licet aegre, sequar tamen, quum non meo, sed ejus et tuo arbitrio ducar. Laborabo totis viribus, ut hinc qua citius fieri possit, absolvar, nec dubito voti mei compotem evasurum. Vale. Thordae XXVIII. Augusti. MDXXXVIII.

XVII.

Jovius Pál nucerai püspöknek Verancsics Antal

Antonius Wrancius Paulo Jovio episcopo Nucceriae viro docto S.

Commentarium tuum de rebus Turcarum, tusco idiomate exaratum, nuper per amicos tuos ex Urbe ad regem meum fuit allatum, elegans sane et ea brevitate, qua est, non jejunum, sed satis copiosum et jucundum lectori. Quod quum hic inter Hungaros penitus mutum et incognitum versabatur, tantummodo apud nos, qui tui numeramur, vocale esset, rex ipse qui viros doctos et eruditos, tum opibus fovet, tum gratia et favore, genuino quodam instinctu, semper ornat atque complectitur, et ipsorum monimenta intermori non sustinet, indignum duxit, si Jovius in ejus regno existens diutius taceret ac lateret non intellectus, neque illius lectione uteretur Hungaria. Mihi itaque transferendum dedit, ea ratione potissimum, quod ex officina tanti viri atque antistitis prodierit. Ego illud pro ingeniolo meo latinum feci et legendum Hungaris exposui, tametsi quid legendum dixi? cum ea, quae in eo scribis, ita scimus et quotidie experimur, ut nulla hoc tempore inter Christianos natio, sed magno cum nostro malo et discrimine! Id a me iniquo animo cur acciperes, non est, neque tamen debebis, quando quidem non ignorem, dementiam esse ex lucerna, cui non advigilaveris, gloriam petere, immo et

1539. jan. 20.

parum laudabile esse ac nimis injurium, ex alieno fundo fructus decerpere pro tuis. Igitur et laborem hunc meum boni consules velim, et affectum erga te singularem agnoscas, quem equidem quum amem et colam, tum observo et summa veneratione prosequor. Unde, et id ipsum quod facio, non ingratam rem tibi me praestaturum arbitror, alioqui et regi meo debui obtemperasse, et unicuique externum quemvis authorem licet vel in aliam vel in suam linguam impune transvertere. Quod si forsan isthaec traductio non ubique thuscae eloquutioni, animoque tuo responderit, Dalmatam, non Italum traduxisse scito. Vale, ac Wrancium tui amantissimum aeque redama. Budae XIII. kal. Februarii. MDXXXVIIII.*)

XVIII.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Andronico Tranquillo S.

1538. oct. 9. Quod litteras meas proxime ad te datas legisti, libens audivi, idque non quod par pari referre voluerim, acrius ad te scribendo et mordacius respondendo, sed quod te amice admonuerim, studeres inposterum majore judicio ac reverentia ad principes scribere, de quibus aut perpetuo tacendum est, aut quam optime loquendum, praesertim quum in ea es fortuna constitutus, in qua et gratia principis, et multorum patrocinio, amicitia atque favore indigeas. Me etenim etiamsi fuste, quod absit, caecidisses, ut verbis verbe-

---

*) Miért iktatta Verancsics 1539-ben kelt jelen levelét az 1538-diak közé, nehéz belátni.

rasti, semper eundem qui semper fui, cognosces, nimirum propter virtutes tuas tui cupidissimum, amantissimum, observantissimum. Quod quidem ex ipso fine litterarum mearum conjicere potuisti, si defecato animo illas perlegisti. Tantum igitur abest, ut te aut non diligam, aut velim offendere, ut etiam inimicis tuis inimicitias indicere, et gladio pro te decertare facile ausim. Tu tibi non desis tantummodo, desque sedulo operam, ut quae tibi opponuntur, modeste et citra contentiones diluas, ac ita putes, te in in hanc aulam rediturum, ut in religionem novicium, in castra tyronem. Verum si te errasse potius ut hominem fatebere, gratiaque principis egere declarabis, omnia facilius, et quidem ex sententia tibi succedent, obtinebisque apud hunc clementissimum regem clementissimam et largissimam veniam, qui novit et subjectis parcere, et superbos debellare; neque te id fecisse poenitebit. Proinde nescio etiam, quem dialogum composuisti, in quo nomen quoque Joannis regis contineri dicitur, ac certe non nihil secus, quam pro dignitate regia deberet, quod tamen litterae tuae omnino negant. Quare, rogo, mittas illius exemplar ad me, quum et Scyllam tuum loco tui in larario meo honorifice habeam; si et hic excusatus velis esse, et mihi amico non dubio rem pergratam facere non gravaberis. Polliceor me honori tuo non secus ac meo sincere prospecturum. De cuppis vero aureis, non est cur sis sollicitus, evadas saltem, quo aspiras, tua tibi non peribunt, quandoquidem invenies me probum virum, et sicut in angusta fortuna amicum habuisti, ita in hac, ut ais, amplissima experieris amicissimum. Vale. Colosvarii VII. id. Octobris MDXXXVIII.

XIX.

Verancsics Antalnak Andronicus Tranquillus.

Franciscus Andronicus Tranquillus Antonio Wrancio S.

1538. oct

Binas tuas litteras hodie accepi, alteras kalendis Augusti, alteras quinto nonas Octobris *) datas. Prioribus vehementer fuissem offensus, si jam ad injurias non obduruissem. His enim amarulenter me proscindis praeter naturam et consuetudinem tuam, ac etiam praeter meritum meum, nisi fortasse veritas coepit apud vos molesta esse. Mirum non debet videri, si in hac fortuna repetii ab amico, quod meum putavi, atque is non tam idcirco excandescere debuit, quam amicum vel de suo juvare. De regia majestate nihil scribam. Vereor enim, ne optimis etiam laedatur. Alterae meliores fuerunt, in quibus cognovi veterem tuam benevolentiam. Quod hortaris, ut objecta diluam modeste: nihil adhuc intelligo, quid objiciatur mihi, nisi quod aliena invidia deflagrarim. De novicio et tyrone quod scribis, habeo tibi gratias, sed existimo, quod et amicis et malevolis constat, me ita cognitum esse ac versatum apud exteros his annis proximis, ut non sit mihi necesse tyrocinium induere; neque est cur veniam petam, quandoquidem culpa careo, nisi

*) Ez tollhiba, mert V. non. oct. kelt levélre Andronicus Tranquillus nem válaszolhatott messze földön szintazon nap, levelét ugyan is, mint alább látni V. non. oct. keletkezteti. Egyébiránt Verancsics kérdéses levele felebb VII. id. oct. iratik keltnek; de e datum is bajjal jár, mert az idusokra nem lehet a korább eső nonákban válaszolni.

quod usu venit, ut ille videatur peccasse, qui passus est injuriam. Ab excidione rerum mearum scripsi aliquot dialogos, quorum nonnulli exierunt in vulgus, nunc etiam unum habeo in manibus, nulla tamen in his mentio fit cujusquam, neque regis, neque privati; misissem hunc tibi, si esset emendatior. Litteras, quas scripsi ad reverendissimum dominum Transsylvanum, avunculum tuum, si recte legantur, nescio cur possint quemquam offendere, quod in his et modestiam et candorem et gratum animum meum facile est agnoscere. Sed ita mecum inpraesentiarum agitur, ut omnia mea dicta et facta in deterius interpretentur. Deus me his exercet malis, quae arbitror esse remedia, si aequo animo ferantur. Scias me adhuc esse captivum, alioqui non deesset mihi receptus rerum mearum. Amo tamen ac plurimi facio consilium tuum, quod ex intimo proficiscitur amore. Quaecunque autem fortuna mihi acciderit, eam voluntate Dei concedi mihi non dubito. Itaque nec prosperis exultandum, nec adversis dejici debere judico. Omnia nempe humana fragilia sunt et caduca, mutationibusque obnoxia. Rogo ut integram benevolentiam erga me serves; et bene vale ac fortunam reverenter habe. Haec pluribus verbis debui rescribere, nisi temporis angustia fuissem prohibitus. In Naghfalw V. non. Octobris MDXXXVIII.

XX.

Basó Bálintnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Valentino Basoni S.

1533. oct. 12. Audiens te, Valentine charissime, in patriam jam rediturum tandem, summam voluptatem accepi; majore nunc afficior tristitia, quum redire differas. Si de loco ac statu tuo dubitas, frustra id agis. Nam hic tibi omnia sunt integra et ex sententia successura. Apud Joannem Statilium, episcopum Transsylvanum, avunculum meum, quemadmodum Michael Farnae tecum perfecit, poteris habere conditionem non contemnendam, apud vero regem etiam optandam consequeris. Redeas tantummodo, nec ultra immoreris, posteaquam et quae Germanus Enyo turbaverat, pacata sint, et a Turca hoc anno tuti simus. Etenim avertimus illum a nobis qua dando, qua pollicendo, nonnihil etiam terrendo ampullosioribus apparatibus nostris, si modo tanta bellua exiguitate nostra terreri possit. Quod si quid insequenti molietur contra nos novi, aut etiam si non, speramus nos Pauli III. pontificis maximi, Caroli V. imperatoris, Francisci regis Galliarum et senatus populique Veneti marte, ac duce Christo secum tuto pugnaturos, praesertim si tantorum principum foedus et consensus non refrigescet. Tu interim ad quae moveo, hortor, urgeo, adhibe animum, et redi vel fratris tui gratia, qui te plurimum in hoc regno esse desiderat, quique

tibi ob tam diuturnam istam tuam moram etiam vehementer irascitur, et quum accepta ab eo pecunia, qua te a creditoribus Viennensibus redimeres, nondum redemeris, neque domum redieris, etiam dejerat: nunquam posthac tibi suppeditaturum, quo te sustentes, tametsi ad Libitinam devenisses. Me, ut semper habuisti, habes tui amantissimum. Rogo mittas mihi Ursini Velii de rebus Hungaricis historiam, aut si malis, tute portes, quod et ipse malo; neque te taedeat: si pluris constabit, quam quae arca tua emere possit, supplebit mea,tibique claudetur nunquam. Brassicanis magna, sed majori majore diligentia me commendes, quocum et amicitia mea major est, et consuetudo intercessit frequentior, alioqui utrumque amo singulariter et complector propter mores ac litteras, quibus pollent. Si quid habes de rebus Germanicis et Italicis, perscribas velim, aut coram relaturus advola. Vale. Colosvarii XII. Octobris die 1538.

XXI.

Musnai Ferencznek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Musnensi S.

1538. nov. 13. Quoniam unicus avunculus meus Statilius, episcopus amplissimus, prae omnibus caeteris mortalibus datus est, quem colere, quem observare, quem vereri, quem non offendere, cui demum per omnes numeros obtemperare debeam propter difficiliorem ejus naturam et severitatem nulli hominum parem. Apud eum te non exigua authoritate pollere, aditum ad illum, facileque colloquium omni tempore, non observatis momentis, secum habere, ac desideriorum compotem ab ipso semper discedere scio. Quare saepius ad te scribere et secretarum rerum mearum curam confidentius inducor commendare, cujus amorem ac benevolentiam erga me, saepenumero perspectam habui. Rogo itaque, fac me quamprimum certiorem, si intelligere potuisti: num avunculus meus moram hanc meam Albensem ferat iniquo animo, quo tempestive consilium capiam, et indignationem ejus evitem. Ea enim si a me abest, abest omne malum; si adest, adsunt omnia. Nam ipse mihi est et imperator et rex, immo uterque parens et fortuna. Si autem animum meum noscere desideras, certe is est, qui facile ab aula hujus corruptissimi temporis abesse possit, idque non quod jam otio domestico et ignaviae placeat decumbere, neque ingenium apud principes ac in luce vellem

seu bonis arcibus exercere, sed quod magis ibi sim otiosus quam domi, nullumque frequentius in aula ista quam sedentarium ago servitium. Quotidie autem vel unum in aula gradum non progredi, profecto undecim regredi est. Haec soli tibi duntaxat scribo, tu vero idem ad me vicissim facito, ut sciam quid animi hac de re meus avunculus in me habeat. Cui ut omnibus in rebus obtemperare possim, omnia mea et me ipsum nihili facio, ut nihil penitus ab officio me, quo illi teneor, dimoveat. De inopia autem mea rei pecuniariae vellem tacere. Scis enim, quanta laborem, sed timeo quod nuper in adventu Solimani Turcarum caesaris metuebam, qui scilicet si hoc regnum invadebat, ut minabatur, cogebar, per Deum, praeposituram hanc meam Transsylvanam, nam Budensem dudum desolavit, ita relinquere ut acceperam, nimirum pauper et vix decem ducatorum dominus. Cujus quidem reditus annuos non ego, nam parvo natura mea contenta est, sed aulicus decor, sed honoris suadela, et longae spei opinio totos exhaurit, neque animadverto prius, quam annus exierit. Congerendum itaque nonnihil est, et futuris casibus reservandum, quos odia principum ac procerum, et ambiguitas hujus regni status assidue polliceri videntur. Vale. Albae Juliae Transsylvanae idibus Novembris MDXXXVIII.

XXII.

Gellei Zsigmondnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Sigismundo Gelaeo S.

1538. jan 1. Fratris mei epigramma, quod a summa ejus erga te benevolentia profectum est, hoc meum excitavit. Sis igitur utriusque nostrum testimonio commendatus, si modo quid ponderis in judicio nostro esse possit; amoris certe in animo adversum te plurimum est. Quare enitere, et ad metam, ad quam dudum te accinxisti, sedulo emices, neque pallore aut vigiliis deterreare, tametsi ex adolescentia non exieris; studiosorum haec sunt insignia, virtusque sudore acquiritur, et ad ejus fructus nonnisi usu, sedulitate, exercitio pervenitur.

Facunde, graviter, docte, Sismunde, peroras,
Et latium pulchre fundis ab ore sonum;
Christigenumque sophos vere sancteque revelas,
Et quaeri debet, qua ratione doces.
Perge igitur, totis secure expandito campis
Ingenium late, perge, age, curre, voles.
Nam te jam cingit graja latiaque corona,
Inque dies clarum Cecropis alma facit.
Per te Marisio continget gloria major,
Major Zamosius Chykelliusque fluet.
Et, Sismunde, tuo gaudebit nomine Gela
Haud minus, Arpinum quam Cicerone suo.

Vale. Albae Juliae Transsylvanae kal. Januarii MDXXXVIII. *)

---

*) Figyelmeztetésem nélkül is észre fogta venni az olvasó, hogy a chronologiai rend szerint e levélnek legelől kellene állani.

XXIII.

Marsupinus Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Marsupino S.

Tu ad me scribis nihil, ego ad te hoc uno plus, 1538. oct. 13. quod in posterum scribam nunquam. Erat animus, hic finem epistolae ponere, nisi succurrisset, turpe esse eodem certare crimine, quod in alio reprehendas. Nam qui id faciunt, cum peccantibus debere damnari existimo. Scribo itaque, et quidem parce, quod tecum expostulo, ne si prolixius scriberem, prolixiora offensa in te essem, quem ad officium erga me reducendum laboro et in amicitia conservandum cupio. Litteras tuas ad Mathiam Marilianum, musicum regium, copiosissimas et pene nimias saepe lego, in quibus ad omnes proceres, etiam recens ad honores evectos, quos nunquam vidisti, caeterisque amicis tuis, ut Baccio, Calnai et si qui alii ejusce sint farinae, salutem et commendationem semper ascribis, solius Statilii et Wrancii memoria te praeterit. Cur id, quaeso? quum causam prorsus, per Deum, nullam praebuimus. Neque eam exquiro, divino tamen et studiose supprimo. Verum amice hortor, omitte multa, quae vana animo concepisti. Scio quod sapis et tecum habitas. At etiam Statilium agnoscas, Statilio etiam te dedas, forsan propius abbatiam Capornak accedes. Me vero nunc quoque, ut semper habuisti, habes tui amantissimum. Res nostras praesentes ad te non perscribo. Eas

largius accipies, ubi istuc Statilius venerit. Francisco Marsupino communi patri commendes me, et cum Dumnensi nostro sis bene, ac recte vale. Colosvarii III. id. Octobris MDXXXVIII.

XXIV.

Niconicius Ferencznek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Niconicio. S.

1538. oct. 13. Ni dabas nuper ad me litteras tuas, penitus in Italia apud veteres amicos meos in oblivionem me abiisse credebam. Quod vero tu inter caeteros omnes unus, ut Pylades quidam fidissimus, tam ingenti a me intervallo disjunctus memineris, litteris etiam memoriam istam tuam, velut pignore quodam pristinae benevolentiae testari volueris, teque de recta valetudine mea gaudere declararis, scito, te rem mihi gratissimam fecisse, habeoque immortales gratias. Sed illud longe jucundissimum exstitit, quod te ex sententia valere, ac ea dignitate, atque eo loco esse apud Romanum pontificem intellexi, ex quo optimi alumni ac cives patriae suae decus augere, nomen proferre, statumque confirmare assueverunt. Precor itaque Deum Optimum Maximum, velit omni secundo numine rebus tuis aspirare, et te patriae nostrae communi illustrare. Nos quoque iisdem animis eodem contendimus, intenteque majorum vestigia conamur urgere, nisi fatum aut fortuna cursum ac voluntatem nostram interpellaverit.

Utinam plures nostratium vel tuum, vel Banissii, avunculi tui viri clarissimi, sive etiam mei, Joannis Statilii, ac multorum aliorum, qui jam decessere, nimirum optima patrum nostrorum semina, idem institutum persequerentur ac tenerent, qui non desidia, non mollitie, non libertate illa domestica, tametsi jucunda at tamen paupere et exili, (quid enim? juvat verum fateri), vitam velut umbram exigere studuerunt, sed eo sese ex nidis suis proripuere, ubi viva nomina, solidae opes ac sempiternae omnium bonorum haereditates acquiruntur. Nam juveniles ac viriles annos addiscendis virtutibus, cognoscendis variis regnis ac nationibus, videndis urbibus et acquirendo nomini reique augendae dandos puto, extremos vero patriae et quieti domesticae etiam suadeo referendos, quum et pium et honorificum sit adeptis opibus atque gloria cum suis honeste una frui, et avitum sepulchrum obtinere. Quod officium tuum Romae mihi polliceris, magnum profecto est, et a me nondum promeritum, humanitati tamen tuae nunc eas ago gratias, quas in posterum referre ut possim, si quid in me et apud me usui et commodo tuo fuerit, enixe dabo operam. Atqui illa tibi duntaxat injungo, ne unquam fidei meae diffidas; me ut semper ames, te ut a me amari non dubites; neque ut loco, ita et animis sejungamur, quos olim Paduae Philippi Trivulcii archiepiscopi Ragusini, viri magni et eruditi contubernium conjunxit. Ego idem de me ingenue polliceor, quod abs te libere atque amanter exigo. Ubi autem numero familiarium Joannis Statilii, avunculi mei, opera mea inseri desideras, non opus est multis, postquam istuc orator veniet. Totus jam in ipso es, cui te et Franciscus a Musna, et eg o cum omnibus tuae virtutis ornamentis abunde,

atque ad unguem etsi non inseruimus penitus, inserere tamen feliciter incepimus, magnumque rei tuae fundamentum jecimus. Libens certe audivit Banissium, virum ei notissimum, talem nepotem reliquisse, gratulatusque est nationi suae, quod adhuc viros hujusmodi Dalmatico animo, Romanis etiam olim venerando ac valido insignes propagarent, qui decori ejus invigilarent ac studerent. Accedes igitur ad illum, quam primum istic sospitem videris, et quod nos incepimus, tute perficito. Bono animo excipieris, credas, ac fundamentis nostris ipse superstruito. Vale. Colosvarii III. id. Octobris MDXXXVIII.

XXV.

Gamrat Péter, krakkói püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro de Gamratis Cracoviensi episcopo S. P. D.

1539. oct. 26

Satisfacturus instituto meo ac officio jam pridem tibi addicto, quanam sim erga te voluntate atque observantia, semper argumento aliquo libenter declarabo, habiturus pro re jucundissima, quum gratum quippiam in te profectum a me fuisse intelligam. Quae itaque de rebus Italicis a fratre meo Michaele ad nos nunciantur, perscribam. Venetos pacem procul dubio cum Solymano Turcarum caesare iniisse affirmant. In signum vero reconciliationis permisit illis evectionem tritici ex Oriente. Ipsi vero classem totam exarmarunt, omnia praesidia Dalmatiae revocarunt, et po-

pulum civesque ejus provinciae, tamquam securos jam a bello, qui ante hostem partim Venetias, partim alio diffugerant, remisere in patriam. Urbes: Jaderam, Sicum, vel ut nunc dicimus, Sibenicum, et Cattarum, quae sunt in Dalmatia, senatus consulto muniendas decreverunt, utpote situ, populo, opibus ac portubus caeteris magis praecipuas, et defendendo mari Hadriatico opportuniores, jamque ad hoc opus conficiendum XL. aureorum millia numerarunt de suo. Usum praeterea auri et argenti in domestica supellectili caverunt sibi ipsis lege acerrima. Tantaque ejusmodi argenti copia in officinam monetariam defertur, ut ingenti miraculo esse perhibent. Ad pondus argenti inaurationem quoque cum opere aestimant, moxque talibus, ratione centum aureorum argenti, solvunt ducatos VIII. insequenti anno XVI. Qui vero argentum suum eximere voluerint, redditur, sin minus, in singulos annos pendunt ducatos VIII., sorte argenti non pereunte. Ad hoc et illud adjunxerunt: Ubicunque in dominio ipsorum stabile quippiam venditur aut emitur, tam venditor quam emptor, aequo jure de singulis aureis centum singulum aureum in publicum aerarium obligantur conferre. Res certe magni ingenii, utilitatis majoris, necessitatis, ut puto, longe maximae. Proinde ab amicitia Caroli imperatoris discesserunt, et Gallo sese adjunxere, vixque credo, unquam imposterum fidem Hispanis habituros. Nam et fame, ut ajunt, domi, et foris bello interibant, nisi mature id facere cogitassent. De clade Andreae Aurii nunc a Turcis in portu Brundusino accepta, arbitror te intellexisse. Verum, ut apud nos est, majore adhuc rumores hi egent confirmatione. Utinam et honori suo et christianae rei beneficio vicisset, omnesque quos

dolor aut invidia angeret, rumperentur. Nam et Turcae, qui proxime in Sclavoniam excurrerant, magna hominum ac pecoris abacta praeda, nullius arcis oppugnatione attentata, reversi sunt ad sua. Hi, ut quidam seorsum mussant, jussu caesaris Constantinopolim tutaturi praesidio, contenderunt, ob classem per Andream Aurium percussam. Nos quid rerum nostrarum agamus, ex oratore regis mei copiosius, quam ut per me scribi liceat, accipies. Petrus vajvoda Moldavus, si me amici non fallunt, adhuc est in nostris manibus, nec quicquam salubrium consiliorum, quemadmodum puto et convenit, omittetur, ut haec ejus aut missio aut detentio pro voluntate et in rem tam Poloniae, quam Hungariae regis evadat. Stephanus Brodericus Vaciensis episcopus alter meus parens nondum convaluit. Medici existimant ejus aegritudinem diuturnam fore, et tandem in proxima hieme vitae plurimum timent, quod omnes vehementer dolemus. Felicitatem tibi precor et vitam. Vale. Budae. VII. kal. Novembris MDXXXVIIII.

XXVI.

Maczeowski Sámuel chelmi püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Samueli Maczeowzky episcopo Helmensi S. D.

Ne nihil ad te litterarum darem, cui ob humanitatem ejus in me nuper largissime effusam multum debeam, ob virtutem vero et integritatem animi vehementer etiam afficior, rudis atque ingrati hominis more viderer fecisse, si praesens nuncius sine officiis ac studiis quibusdam meis ad patronos et amicos meos in Poloniam rediisset, quibus etsi facile sciam non esse mearum virium, ut unquam gratiis amplissimis in me collatis, aequa, ut dicitur, lance queam respondere, tamen id, quod nulli negatur, excusata tenui facultate, animum saltem voluntatemque obtrudam sedulo, quam non dubito tibi, una cum caeteris amicis meis regni istius, quae tua ac ipsorum summa atque ingens est humanitas, animique magnitudo, pro ipsa re suscipietis. Interim si quid est, quod mea opera aut studio praestare possim, rogo jubeas atque imperes. Cupio enim majore ratione gratiam benevolentiamque tuam promereri, quam officiis duntaxat externis et verborum lenocinio. Nova, quae apud nos vigent id temporis, ex litteris domini episcopi Cracoviensis intelligere poteris, cui uni copiose perscripsi. Caeterum scito, te apud Joannem regem principem meum maximi fieri. Etenim neque accepta ansa ulla

1539. oct. 26.

a me, quis qua virtute, quove ingenio ac loco in regia Poloniae esset Maczeowzky, perquisivit. Quid responderim? Equidem omnia summa atque optima, eaque verissima, et quae homo tui observantissimus debuit. Vale. Budae VII. kal. Novemb. MDXXXVIIII.

XXVII.

Opalenzki Péternek az ifjabb lengyel király udvarmesterének Verancsics Antal.

Antonius Wrancins Petro Opalenzky, Sigismundo junioris regis Poloniae magistro curiae. S.

1539. nov. 29. Superioribus mensibus in reditu meo ex Polonia in Hungariam, scribens ad Cracoviensem et Helmensem episcopum, viros omni officio ac veneratione omnium hominum prosequendos, quod ad te quoque eo ipso tempore, qui mihi eodem es albo, quique me una cum caeteris istius aulae vestrae clarissimis heroibus eximie honorasti, et humanissime atque amantissime per eos dies, quibus apud vos legationis munere functus sum, complexus es, nihil scripserim, reprehendi abs te officium meum non dubito. Quod vero neque postea ad hanc usque diem id injuriae reprehensionisque ulla epistola vel redemisse saltem, si diluisse nequivissem, curarim, etiam damnari mea ipsius confessione, non aegre patior. Verum quum id nec studio, nec oblivione commissum est, quum tui recordatio sicut mihi est jucundissima, ita certe ex animo meo nunquam recedit, a te, qui summa humanitate, ae-

quitateque in amicos es, facile veniam impetraturum me confido. Flagrantissime itaque desidero ac peto, velis hanc ad me quamprimum litteris tuis mittere, quandoquidem tanto viro, in tanta regia tam egregie accepto, charum me esse, pro magnis opibus duco. Caeterum etsi citra pudorem non facio, faciam tamen, ut eo ipso quo citius possim vacem, rubore etiam perfusus. Delicta enim corrigere, laus est, nolle, scelus et nefas. Studium itaque ac benevolentiam tuam erga me, quam non tam mea digna aliqua causa, quam regis mei gratia nuper Cracoviae declarasti, quaeque illius majestati, mecum amicissime ac liberrime collata, per me nunciasti, oblationes insuper officiorum obsequiorumque tuorum, quas eidem largissime fecisti, scito me diligenter ac fideliter exposuisse. Ejus majestas libens omnia audivit, et gratias egit singulares vicissimque de recta valetudine tua ac statu, quem tibi perfaustum optat, perquisivit, summas his de virtutibus tuis adjunxit laudes, efferens in te doctrinam, judicium, consilium, fidem et in rebus omnibus gravitatem maturitati conjunctissimam. Haec a me adulanter profecta ne existimes velim. Inservio enim libenter existimationi ac honori tuo, et cupio placere tibi, sed non adulatione, non mendacio, verum officiis ac propensitate animi. Quod si id ipsum re quapiam ipsa testari aliquando potero, verba etiam mea pondus habuisse fidem faciam. Porro, si pro hoc meo silentio ac negligentia tam diuturna epistola amicitiae nostrae mutuae atque adeo voluntati tuae minus nunc satisfecero, eo duntaxat solabor, si crimen culpamque effugerim, et satisfaciendi tempus mihi haud gravate prorogabitur. Nova ad nos de rebus Italicis nulla fama, ne rumor quidem ipse attulit. Carolum tantum-

modo in Flandriam venisse ex Hispaniis per mutata jumenta, Viennamque meditari Pannoniam, Romanorum regis nuncio accepimus. Res Turcicae nescio quid, sed silent, puto ut majora, saltantium more, dehinc praestent. Rex noster Varadinum propedie est iturus, illinc, ut ajunt, etiam in Transsylvaniam. An et reginam secum sit ducturus, non constat. Stephanum Brodericum, virum profecto qualem diu Hungaria non est habitura, amisimus. Nemo est, qui eum non defleat. Decessit morte admodum facili, ac digna ejus vita et moribus, adeoque cita, ut unico spirandi actu, tamquam dormiturus, non moriturus, ad ultimum semper cum sensu loquens, XV. kal. Decembris in arce sua episcopatus Vaciensis animam exalavit. Successor illi in sacerdotium dignus quaeritur, neque reperitur, adeo mores ac studia, quibus ipse pollebat, in hoc regno interiere. Reliquum est, rogo te, velis pro tua humanitate serenissimis istis principibus Poloniae me ac fidem meam, potissimum reginae Bonae prudentissimae commendatam reddere. Quam alioqui commendationem, ut per me quoque ipsum assequi possim, assidue mecum cogito. Conari enim debemus, ut non semper alienae tantum commendationi innitamur; nostra ipsorum virtute atque opera gratiae principum nobis sunt promerendae, quoad ejus fieri possit, eaedemque integritate ac fide effusiores largioresque in nos efficiendae. Vale. Budae. III. kal. Decembris 1539.

XXVIII.

János Endre Bálint krakkói prépostnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Andreae Valentino, Cracoviensi praeposito S.

Litteras tuas perquam laetus accepi et legi, easque regi, domino meo clementissimo, praemissa tui commendatione porrexi, cupiens tam honori tuo inservire, quam officio meo satisfacere, utque etiam ex litteris ad alios datis rex meus sciret, quanti apud te fieret. Summam ex illis observantiam propensitatemque animi tui erga se agnovit, et gratias agit humanissimas. Mihi etiam singularem amorem tuum, quo me prosequeris, declararunt. Etenim jucundissimum mihi est, tam sincere abs te amari et in tua asservari memoria. Neque aliud abs te consequi cupiebam, quam inseri in benevolentiam tanti viri, quod haud dubie consequutum me esse certo scio, quum eundem erga me animum tuum experior absens, quem praesens cognoveram, eoque profecto cumulatiorem, quod ad me scripsisti, id quod saepe in posterum facias vehementer oro. Quod si materia non occurrerit, precare saltem, ut diu vivam, quo quam diutissime inserviam existimationi tuae, et crebriore officio tibi me chariorem exhibeam. De versiculis meis quod scribis, habeo gratiam. Sed ohe, quid in ansere olori possit esse oblectamenti? nisi et hoc genere humanitatis declarare

1539. dec. 12.

vis, quam ardenter me diligas, dum etiam nugas meas extremae humilitatis commendas, quod magis credo.

Caeterum jussis tuis, etiam injussus, libens obtempero, quum te ex animo et amo et veneror. Tua igitur, ubicunque occasio poposcerit, utar opera, aeque ac fratrem convenit, liberrime. Cui vicissim ipse quoque id ipsum libertatis apud me polliceor et offero. Amplissimis istis principibus tuis, potissimum sacrae majestati reginali humillime commendari ac diligenter per te cupio. Nostrae ambo recte valent, et te summa gratia et favore complectuntur, nec minus amant. Vale. Budae. Pridie id. Decembris MDXXXVIIII.

XXIX.

Tarnowski Stipkó lengyelországi kincstartónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stipconi a Tarnow regni Poloniae thesaurario S.

1539. dec. 12. Aulas principum invidis, aemulis, calumniatoribus, delatoribusque obnoxias esse, scire te non ambigo. Fit hoc ea imprimis de causa, ut qui virtute ad summa nequeunt progredi, scelere ac malis actibus conentur saltem. Deinde, quod facili conjectura capitur, ut proborum ac praestantium hominum magnitudo impari improborum comparatione notior sit et magis enitescat. Genus hujuscemodi hominum quod domi quoque experimur, qui majore fortuna sumus, non magnopere mirandum esse existimo, quia eodem cibo vescamur. Verum quod istic mihi negotium fa-

cessunt et odium excitant, ubi nihil eripere possunt, etiam atque etiam demiror. Ea enim, quae mihi objiciunt, longe absunt a veritate; quandoquidem nuper Cracoviae legatione fungens, honorificentius habitus sum, quam pro mea privata conditione, quod equidem, usus ingenuitate ac morum meorum nitore (liceat mihi in re tanta, quae honorem meum in naufragium trahit, jactantius dicere), nullibi non praedicavi, laudavi, extuli, idque neminem. nisi malignos, negaturum puto. Sed forsan serenissimorum regum ac reginae Poloniae gratiam caeterorumque procerum benevolentiam mihi invident, et quum odio me atque invidia cordibus exturbare illorum non possint, delatione labefactare nituntur. Verum illud me consolatur, quod non apud vulgum fundamenta tam perditi propositi jecerunt, sed apud primates, quos in Poloniae regia ea integritate atque constantia cognovi, ut facile credam, nullis unquam maledicorum nefandis studiis eos ab honesto diduci posse. Quod vulgus effutit, recte qui vivunt, faciunt ne flocci quidem, tamquam voces arcadici, ut dicunt, pecoris, quae ubi diutius ac inscitius personuere, in auras evanescunt. Quorsum haec tam multa! Nimirum, vir magnifice, ut et ipse idem sim perpetuo apud Polonos, qui incepi esse, nempe non improbus, et hominem, quem immerito meo periculo apud te et apud principes istos serenissimos perdite perdiderunt, ab eorundem ira atque indignatione vindicem. Is est Petrus cognomento Krziwiczky, qui mihi pro oeconomo Cracoviae per te erat designatus, et ne singula, quae de ejus administratione male, ut delatores voluere, perfuncta, propter taedium referam, persuasum habeas, nihil eum apud me commisisse, quod e dignitate principum nostrorum ac decore mu-

neris, quo fungebar, non fuisset. Quod si qua parsimonia usus est, non sua sponte, non ingenio malo, sed meo jussu fecit, quia profundebantur, non impendebantur res. Nam verebar ipse, ne si habitius istic tractari, meque majorem ostentare voluissem, quam domi et sim et tracter, foculi mei modum, qui omnium rerum optimus est, excessissem. Criminationem igitur, qua Petrus apud vos laborat, in me transferte, eique, ut in gratiam tuam receptum habeat, facultatem facias oro vehementer. Unica re mihi non probabatur, quod hilaritate, quae Polonis genuina est et peculiaris, epulas meas non condiit, neque exporrecta fronte convivas serenare studuit. Sed natura nequit immutari, idque illi imputandum esse arbitror, qui hilariorem aut Democritum quendam non assignaverit. Verum ignoscas. Cum aulico, eoque humanissimo viro aulice ago. De servo autem meo istic vulnerato, hic defuncto, nil opus est scribere. Adhuc tum cum Cracovia discederem, animum meum intellexisti, eodem nunc quoque sum, nec rem Petro ascribo ipsi, sed ebrietati et scortationi servorum, quorum si is meus tunc mihi paruisset, nunc viveret. At ista saepe, etiam majoribus me contingent. Curandum tamen est, ne saepius eveniant.

Caeterum qui me in hanc arenam cum isto bono viro deduxit et de epulis contentionem mihi, quod magis doleo, concinnavit, non amicam operam praestitit. Nam si quid tale in mensa mea, quam multi boni frequenter petunt, audivit, foedissimo more suo fecit, quod passim per compita diblaterarit. Verum non advertit eloquium illud portae diaetae meae appositum: Hac verbum non egreditur. Liberae enim apud nos et salibus permixtae mensae sunt, ut apud vos quoque, nec ea nunciantur iis, de quibus loquutum sit, nisi quis,

cui male creduntur secreta, calumniae locum quaereret. Innocens tamen et generosus animus non suscipit calumniam. Ego vero de me non quid illaudati, sed quid laudati loquantur, magnifacio. Haec non tam causa restituendi Petri in pristinam gratiam et locum ad te perscripsi, quam etiam defendendi honoris mei studio, ne tam sordida re labefactaretur. Quare rogo, velis huic meo testimonio pro tua humanitate fidem praestare, et Petrum ipsum, quem e sinu tuo abactum percepi, denuo ad te recipere. Summos viros decet indulgentia, crudelitas brutorum ac barrorum propria est. Vale, et me favore tuo prosequere, meum vero semper officium paratum tibi esse scito. Budae. Pridie id. Decembris MDXXXVIIII.

XXX.

Gamrat Péter krakkói püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro de Gamratis episcopo Cracoviensi S.

1539. dec. 20. Ea me humanitate superioribus diebus Cracoviae complexus es, eo favore ornasti, tantam etiam liberalitatis apuod te copiam et praesenti fecisti, et absenti obtulisti, ut nihil est, quod a te expetere non audeam, meque consequenturum non confidam, tam multa mihi de integritate ac tua erga me benevolentia persuaserim. Is itaque Marinus Caboga Ragusinus, meus necessarius, ac mihi quum natione tum consuetudine ipsa pene a primis annis junctus, veniens nunc in Hungariam, ad me, vetere necessitudine nostra fretus, recta concessit. Eum ut germanum fratrem accepi et amanter habui. Quid animi haberet, quod tam longe a patria fuisset evagatus, quaesivi; multorum, respondit, urbes videndi et mores cognoscendi gratia, nonnihil etiam domestici otii affectus taedio. Ego ut meo gentili debeo, hic ejus commodis libenter opera mea volebam consulere, et de statu providere, sed asperitas morum hujus gentis et inaequalitas displicuit. Quare in Poloniam, ubi summam illi concordiam, politiam ac lenitatem commendarunt, sese conferre statuit et patrono cuipiam dedere. Quum autem imprimis te ipsi benignum, liberalem, litteratorum-

que asylum ac Maecenatem singularem quidam praedicarunt, dudum se tibi dedidit, praesertim quum et ego idipsum confirmaverim. Venientem itaque ad te fide ac spe rerum suarum non dubia, vehementer oro, habeas commendatum, et numero tuorum adjungas. Homo est aetate juvenis, sed ingenio atque maturitate vir, domi praeterea nobilis, moribus bonis et eruditione non exigua, quique sciet se pro voluntate tanti episcopi probe in tuo servitio gerere. Si usui tibi non fuerit, dignabere saltem mea gratia alibi de loco honesto illi providere. Quod si mea hac commendatione Marinus Caboga apud te consequitur, Antonius Wrancius praecipui favoris loco accipiet, cognoscetque fiduciam suam, quam in te habet collocatam, firmam, veram et constantem esse, nec minus fructuosam, tibique omni studio, opera atque observantia sedulo gratificari conabitur. Feliciter te valere desidero. Budae XIII. kal. Januarii MDXXXVIIII.

XXXI.

Tomori Lajosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Ludovico Tomoreo S.

1540. jan. 13. Longe abs te majora officia nomine mutuae benevolentiae nostrae exspectabam, quam re ipsa praestitisti. Accepi ex litteris administratoris mei, te aurum meum, quod mihi ex aurariis oppidi Abrugh quotannis ab aurilotoribus penditur, interdicto publico in manu quasi sequestris, me neque commonito, neque quicquam tale ab amico homine sperante, quo minus redderetur, impedivisse. Rem profecto dignam tua levitate atque inconstantia, meo erga te animo indignissimam perfecisti. Sed id credulitas et facilitas ingenii mei peperit mihi, non tuorum morum ignorantia. Arbitrabar te jam veterem hominem vel proxima aegritudine correptum exuisse, et cum novo eoque probiore commutasse, ac coepisse jam tandem fidem et amicitias sanctius observare, dum mihi tua omnia semper pleno ore tam egregie polliceris. Verum non miror, si et me captiunculae tuae fefellerunt, quibus longe me ipso cautiores saepe depalpasti. Nam vetus est: nimia verba minimum rei consequi. Hoc equidem in te experior, quocum utinam nullum unquam mihi commercium intercessisset. At debere me tibi aureis ducentis, scis, nunquam negavi, ne nunc quidem; immo pro hoc tuo in me officio gratias etiam habeo, et relaturum promitto quaecunque contulisti. Sed fretus ami-

citia tua et tuis tam largis ac solennibus pollicitis, terminum solutionis ad tres menses duntaxat prorogari mihi cupiebam, si quid sit amicitia, didicisses; quod non solum non fecisti, verum etiam quaecunque aliquando donasti, importune ac citra omnem pudorem et necessitudinis nostrae recordationem exprobrasti.

Portiones insuper meas pecuniarias ex redditibus, qui inter canonicos fratres nostros in sacrario solent dividi, pro donis tuis perinde ac debitas, usurpasti et exegisti, quod non confirmare est, sed stirpitus evellere amicitias. Nam dona pro donis exspectantur quidem, non exiguntur, et pro beneficio collato inhumanum et summae dementiae est, contumeliis gratitudinem extorquere. Atqui tu, ut vis, agas. Ego, ut vir bonus, tuebor partes meas, nec magni putabo referre, si te vulgarem amicum amisero. Tales mihi fortuna in dies et dabit et adimet. Quicquid vero mihi dono dedisti unquam, semper duplo, nonnihil triplo restitui, nullumque etiam mutuum aut commodatum ad me venit, quod cumulatum, unde profectum est, non redierit, ad te praesertim, cui longe plura dedisse me, quam accepisse scio, teste vel tota Alba. Reliqua quum domum rediero, ut voles, tecum conficiam, quo saltem maledicentiam tuam redimam, si avaritiam non reprimo. Amicitiam autem deinceps eandem polliceor, qualem accepero. Vale. Budae. id. Januarii MDXXXX.

XXXII.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Wrancio fratri S.

1540. jan. 20. Solimanum, Turcarum caesarem, regi nóstro Joanni indignatum esse, citra omne dubium scito. Hanc ejus indignationem tria suscitarunt. Imprimis amicitia, quam cum Carolo imperatore et Ferdinando Romanorum rege, hujus fratre, nuper Varadini medio legati, Joannis archiepiscopi Lundensis, in privato duntaxat et secretissimo consilio, cum spe maxima futurae et perpetuae pacis, iniverat. Dein perfugium quod Petro Moldavorum vaivodae, quem ipse Solymanus ut hostem dominio ejicerat, in suo regno concesserit, neque aliquoties petitum, hominem, ut ajebat, captivum suum, illi dimiserit. Postremo, quod pecuniam, qua superiore anno, quo Moldaviam obtinuerat, in Transsylvaniam quoque ne invaderet, gratiam coemerat, non persolvisset. Nunc pro his objectis diluendis, immo pro reconciliando caesare Georgius Utissenius Heremita legatus mittitur. Ingentia fert secum munera ac pecuniam pactam; et si fortasse non totam, non mediocrem tamen, de cujus summa mihi non constat. Verum ne credas illa trecenta millia aureorum, proximo anno in comitiis Colosvariensibus, a Transsylvanis centum, ab Hungaris centum,

ab se vero centum sub hujus commodi praetextu collata, esse missa, quae postquam fuere numerata et luci subtracta, nunquam sunt visa. At, quid sperem de hac reconciliatione, quaeris? nihil sane quod optamus. Praesertim si is noster ab amicitia horum fratrum non discesserit, a qua discedere, et turcicae accedere, sicut jam sero est, ita juxta periculosum. Nam a Turca quicquid amicitiae aut pacis recuperabimus, precario et magno redimemus, utpote jam suspecti. Carolus vero, qui nunc in Germaniam venire dicitur, si paratis principum christianorum animis ac sibi conjunctis, ad optatum finem instanti anno, quae concepit, perducet, quo rem nostram evasuram putes? Vereor ne hunc amittamus, illum non assequamur, et ab utroque petamur et oppugnemur. Vale. Budae. XIII. kal. Februarii MDXXXX.

XXXIII.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Wrancio fratri S.

1540. febr. 2. Solimanus pro Petro vaivoda jam tandem ad se mittendo assiduis nunciis instat, urget, sollicitat, et nisi dimittatur, inimicitias etiam denunciat. Veritus rex, ne, si regnum ob id quippiam damni perciperet, illi imputaretur, toto igitur assentiente consilio, XII. kal. Februarii eum misit, satis quidem aegre, magnam enim eo fenestram obturaturum se sperabat; sed citra ingens et sui et Hungariae ac Transsylvaniae perniciem *), desiderio tanti tyranni refragari non licuit. Uxor ejus et liberi in arce Chicho tenentur sub custodia, nec dubium est, quin et ipsi reposcantur. Id quanti sit ponderis, tute scis. Veremur, ne restitutus in dominium molestior tum nobis, tum Polonis evadat. Quod facile creditu est, si considerabimus quam dulce sit ad fortunam redire, a qua excideras, et ulcisci posse de iis, quibus fueris semper insidiatus. Nemo ambigit, operam daturum, ut regi Joanni apud caesarem negotium facessat, partim quantum conjectura assequimur, propter veteres simultates, quas mutuo aluerunt, partim ut se alienis criminationibus apud Turcam purgando, pristinam gratiam recuperet. Nam

*) Talán tollhiba ‚periculum' miatt, mire az ‚ingens', nem ‚ingentem' szó is mutat.

Turcarum is mos est, ut occasiones nocendi et potiundi iis, quibus inhiant, semper venentur. At Petrus dum per Transsylvaniam duceretur, palam, quibuscum loquebatur, (licebat autem cum omnibus) de cunctis quae anno superiore pro conservatione Transsylvaniae et Moldaviae acta sunt, illum unum duntaxat authorem insimulabat, tamquam alienatum a Solymano et adjunctum Carolo et Ferdinando, seque facile rebus suis consulere potuisse dicebat, ne ipsum caesarem hostem habuisset, si ejus consiliis ac monitis non acquiescebat. Ad haec et litteras mutuorum contractuum conspirationumque in caesarem consilia secum ferre, et omnium horum habere vivos testes, aliaque id genus, ut barbaricos mores et intemperantiam hominis nosti, passim effutiebat. Nonnullorum sententia dandum erat illi venenum ad mortem accelerandam, sed nec repentinam, nec tardam nimis, ut casu videretur decessisse, non consilio, verum ut prius moreretur, quam sentina tam lurida seriem rerum nostrarum ei patefaceret, cum quo non, ut volumus, sed ut possumus, arte scilicet atque astu agimus. Quid factum sit, me latet. Utinam non audiretur et pro necessario voto nostro etiam interiret. Vale. Albae Juliae Transsylvanae IIII. non. Februarii MDXL.

XXXIV.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Wrancio fratri S.

1540. febr. 3. Saepe audivi a majoribus, eam adversantis fortunae naturam esse, ut nunquam miseros unico teli genere affligat, sed pluribus et variis, quo aut citius, quos petit, opprimat, aut una saltem victoria potiatur, si caeteris frustraretur. Habes ex aliis litteris meis Petrum vaivodam profectum jam in Turciam, eodem Georgium Utissenium Heremitam nostrum brevi profecturum. Accipe his et Hieronymum Lasky cum Tranquillo Andronico, nomine, ut dicunt, Romanorum regis, dudum ibidem esse, qui quo pacto eo sese proripuerit, scribere non praetermittam. Proxime quum ego apud Poloniae regem legatum agerem, Tranquillum Cracoviae reperi, toti, ut persensi, aulae suspectum, et ob id etiam nonnihil latitantem, ita ut me quoque dubius conveniret, quandoquidem et otiosus esset, et se a Romanorum rege in secretarium assumptum gloriaretur. Illuc haud diu post adventum meum venit et Lasky Vienna, praemisso, ut solet, ingenti fastu et itineris sui festinatione, deditque operam, ut omnibus persuasum foret, in Franciam se Romanorum regis mandato oratorem missum, Tranquillum vero in Moldaviam, quem ego triduo quam inde movissem, vidi discedentem. Verum conjectura eos non fefellit, quorum scire intererat, quid moliretur, quo animum inten-

disset Lasky, quum mox ab insigni viro, et magistratum in eo regno gerente fui admonitus, hunc nec in Franciam, nec illum in Moldaviam tantum, sed utrumque ad Solymanum caesarem, anteambulone Tranquillo profecturum, quod paulo post ipsa veritas consequuta est. Nam prope Hadrianopolim civitatem utrumque visum certissimi authores domino meo regi retulerunt. Sed vide, mi frater, in quas difficultates nunc decidimus. Durante hieme videmur nobis semper in tranquillo esse et nonnihil vivere, ineunte vere veteres curae atque angustiae nobis renascuntur, nova vero damna doloresque cumulantur; nec pudet saepius dicere: non putaveramus. Jam dudum apud nos percrebuit, caesaris apparatum tam terra, quam Danubio expeditum esse, et nisi reconciliandum erga nos mature curaverimus, nempe, ut suboleo, pecunia et fide pristina, sub qua regnum nobis restituerat et crediderat, in Hungariam primo quoque tempore invasurum, ab hominibus ejus consilii recto commonemur. Nos ad hoc tardi, cunctantes, negligentes, alioqui etiam dubii ab alterutro scilicet ad alterum caesarem discedere, ne horribiliora incurramus. Ibi autem quum ii tres coram quasi Rhadamante aut Minoe quodam constituentur, quid putes, Petrum vaivodam, getica illa improbitate actum, sponte sua de nobis dicturum? Quid Lasky ab adversariis instructus, ambitionis et confidentiae homo plenus, evomet? Quid is demum Heremita, qui omnium consiliorum regis nostri mens est et animus, omniumque gerendarum rerum suarum dextera atque instrumentum, fatebitur, vel coacte, si secus noluerit? Nam credibile est, Turçam, qui omnes Christianos habet suspectos, sedulo sciscitaturum, an in Hungaria omnia illi sint integra, quidve animi erga

se haec natio gerat, quam, quum facile poterat, non deleverat. De aliis rebus nostris ne quaeras, omnia indies magis vacillant et infirmiora redduntur, nec adhuc Hungarorum Transsylvanorumque eadem voluntas in regem; utrique haesitabundi adhuc et male affecti, ob assiduas, ut ajunt, censuum exactiones. Is noster, ut coepit, etiam nunc discurrit, modo hunc, modo illum ex proceribus, et quemque, prout morbus postulat, consueta facilitate aut blande captat, aut clementer extollit, nec aliud proficit, quam quod tot dominos, vel, ut ita dicam, reges sibi ipsi creat, eosque, ne unquam correptionem disciplinamque accipiant, armat et erudit. Haec me quam vehementer excruciant, cogita. Miror equidem quod tam diuturnis calamitatibus jam pridem non exaruerim. Tribus his epistolis omnem horum dierum historiam accepisti. Vale. Albae Juliae Transsylvanae. Quinto non. Februarii*) MDXL.

---

*) Így az eredetiben; de miután februariusnak nincsen öt nonája, vagy a negyedik nona utan következett napot, tehát februarius 3-át értette, kissé hebehurgyán, Verancsics, vagy talán, quinto id.-t akart írni.

XXXV.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri suo S.

Jam binis a me litteris habuisti, Petrum vaivo- 1540. febr. 26. dam in Turciam dudum dimissum, et Georgium Heremitam, thesaurarium, eodem legatum cum muneribus profectum. Nunc habeto his: utrumque adhuc hic immorari, moramque, puto, utriusque consulto fieri. Nam regi Poloniae missio Petri nullo pacto probatur, nec nostro quidem, sed negare fuit periculosum, ne unius hominis servandi gratia, toti regno indignatio atque exitium a Turca oriretur. Differri itaque decretum est, ut meliore aliqua occasione dimitti possit, ex qua etiam si restitueretur in dominium, et regi nostro acceptum referret et Polono infensus esse desineret, quod facile speratur, si ingenium hujus nostri perspicias, qui id solum non potest a Solimano obtinere, quod non vult posse. De tarditatione vero expeditionis Heremitae alia ratio est, sed non valde dissimilis. Dona, quae secum fert, maxima sunt, ducentorum millium aureorum dicuntur summam facere, dein ex afflictissimo et despoliatissimo regno efferuntur, infidelique et christiano nomini infensissimo mittuntur tyranno. Quod credis non dolere Joanni? qui quid animi habeat in conservando hoc regno, labores ejus indefessi, et per Hungariam ac Transsylvaniam assidua

peregrinatio, et isthaec annua dona testantur. Etenim semper nititur, ut in omnes partes integer appareat, praesertim dum et cum Turca in officio persistit, et Caroli ac Ferdinandi spe injecta validi futuri belli in Turcas jam a triennio frustra ducitur. Nihilominus praesentis quoque aestatis summo artificio exitum opperitur, atque etiam quamquam ob id suspectum se esse Solymano non nesciat; quid tamen ii duo fratres jam tandem velint movere, magnopere videre desiderat, eaque munera usui Hungariae et beneficio conservare satagit, ac eo tempore mittenda differt, nempe sub ipsa hieme, si retineri non poterunt, quando expeditio, qua diu jam nobis minitatur, non timebitur, utpote in insequentem annum distracta; sperans utique interim bonam aliquam mutationem eventuram. Habes a me, quae apud nos in dies fiunt. Utinam meliora daretur scribere. Ubi sis, quid rerum agas, quove es statu ac fortuna, scire cupio. Vale. Albae V. kal. Martii MDXL.

XXXVI.

Tiraboschi Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Mario Tirabusco S.

Quod nullae ad me litterae tuae jam quadriennium venerunt, causam esse, non quod nullas dederis, sed quod interceptae, quas dedisti, tabellariorum incuria, seu viarum difficultatibus deperditae fuerint, existimo. Solo itaque locorum intervallo, quo sejungimur, id silentii tui ascribo. Verum si aliquam adhuc scintillullam nominis mei memoria tua retinet, cur non scribas? cur tacendo longius a me recedis? et si omnem excusationem tuae a scribendo cessationis non admittam, faciam jure. Ea enim sumus necessitudine, ut sicut ultro et sine calcari do meas, ita tuas exigere et extorquere audeam. Nam habes Venetiis Josephum Statilium consobrinum meum, paucis ante diebus discipulum tuum, cui des, quoties libebit, oro autem libeat saepe ac semper, quod idipsum profecto de me tibi polliceor. Caeterum sunt mihi domi duo fratres aeque chari ac ipsemet mihi. Eos posteritati familiae meae addixi, ideoque et salvos diu et eruditos fore cupio. Nam quod ego et Michael in exteris regnis vagamur, et saepe de vita etiam periclitamur, dum et rem et nomen quaerimus, nescio quid in iis majoris certitudinis prolatandi generis nostri collocavi, quod non tantis fortunae varietatibus objiciuntur. Scripsi itaque ad patrem meum, ut si jam per aetatem

1540. mart. 1

domestico foco carere possint, et litterariae disciplinae ferre leges, ac manus ferulae subducere, adjungat eos contubernio tuo, et te praeceptore erudiantur expolianturque bonis moribus. Quod si omnino anni hoc illis adhuc negare videbuntur, adhibeat pro paedagogo etiam nutricem, ac omnino pueros tibi assignet. Id ea ratione facio, quod vereor, ne, si quid a Turca instanti anno patriae meae, quod Deus avertat, hostilitatis inferretur, interirent immaturi *); quum alioqui eos quoque cadere cum cadente patria, una mecum ac meis omnibus etiam expeterem, sed quum per virtutem liceret. Quare si quid idem parens meus Franciscus hac de re tecum egerit, scito: acturum meo nomine, promittoque bona fide atque humanitate, staturum me omni conditioni ac pacto, qui**) inter vos convenerit, salariumque in aureis ducatis quotannis in praescripto termino persoluturum. Vale. kal. Martii MDXL.

---

*) Az eredetiben egy levél kivágva, mely jelen epistola végét s a Jacobinus Jeremiáshoz, mint a tartalomból látszik, intézett XXXIX-dik sz. alattinak kezőnek kezdetét foglalja magában. Katona idejében, még nem lévén kivágva e levél, a hist. crit. XX-dik kötetéből pótolhattuk mind az egyiknek végét, mind a másiknak kezdetét. Egyébiránt a kivágott levelen többnek kellett állani, s a kivágás valószinüleg ezen több miatt történt.

**) Így, nem ‚quod'; Verancsics talán ‚pactui'-ra gondolt, melyet szintén találni a classicusoknál.

XXXVII.

Bornemisza Gergelynek Verancsics Antal.

1540. mart. 1.

Ursulam meam tibi, ut me ipsum, et siquid me mihi charius esse possit, etiam atque etiam commendo. Negotium illius quonam pacto actum sit, aut, si adhuc pendet, quomodo sese habeat, vehementer ex te scire cupio. Ut autem bene et ex sententia perficiatur conserveturque ab indignatione viri et a publica infamia, Deum etiam ac omnes superos precor et exoro — *). Albae Juliae Transsylvanae kal. Martii MDXL.

---

*) Ezen vonal — Katonánál, honnan e levél vétetett, azt jelenti, hogy itt ő kihagyott valamit. Miután Verancsics epistoláiból, utóbb mintsem Katona azokat használta, egy bután gonosz kéz Egerben e levelet is kiszaggatta, nem volt mód, e hézagot pótolni.

XXXVIII.

Verancsics Antalnak, testvére Mihály.

1540. mart. 1. Video, frater charissime, fortunam hanc meam infaustissimam qualibet hora, quolibet momento transformare se in pejorem, et in dies quaerere viam ac modum, quo me in novas indignationes avunculi nostri, Joannis Statilii, immergat. Non ignoras, arbitror, me anno elapso ea de causa Hungariam reliquisse, ut locum huic fortunae adversae darem, et quum gratiam acquirere non potuissem, odium saltem evitare pro lucro duxeram. Quum velut ex insidiis iter Gallicum mihi objicitur, mel pro veneno, album pro nigro. Parui. Quid, negassemne? Profectus nihil illorum reperi, quae mihi large fuerant promissa, neque quod ad profectum nostrum futurum fuerat. Quare elegi, satius esse eo reverti, unde discesseram, quam in aula regis tam magni mendicati vivere. En, hic sum, sed in magna indignatione avunculi qui ex pulice, ut scis, elephantos gignit. Gratia Deo Optimo Maximo, in cujus potestate sto, quod regiam majestatem, dominum meum clementissimum, pro me habeam; quique me de manu leonis eripuit. Illud autem vehementer admiror, quod tantus dominus cum hoc pulice tanta contentione contendat, et quasi immortale bellum gerat. Sed mihi ista eo faciliora videntur, quanto assuetiora. Pro triumpho habeo, quod mihi Deus in eo misericors fuit, quod nullius sceleris mihi sum conscius. Jam ut omittam mea, ad tua venio. Iste meus do-

lor nihil est respectu illius, quem capio ex tuis adversitatibus. Tuae etiam rationes apud ipsum avunculum pessimo loco sunt, propterea quod Petrus Croata palam et gravissime conquestus sit de te illi. Quare? puto, intelligis. Avunculus ob id miris modis in te excandescit et implacabiliter irascitur. Hoc eodem momento ferme contigit, quo nuncius de adventu meo ad eum fuisset perlatus. Adeo studet fortuna, nos aequalibus calamitatibus obruere et in hisce miseriis conjungere. Hae tamen omnes nihil essent, si solum ira avunculi evitari aut mitigari posset. Vale. Budae, kal. Martii MDXL.

XXXIX.

Jakobinus Jeremiásnak Verancsics Antal.

Rediens a curia in Transsylvaniam, unas ad te 1540. mart. et Hontherum dare litteras erat*) animus, ut quos civitas, mores, studium et verbi evangelici professio conjungebat, litterae meae non disjungerent. Sed quum intellexi, simultates quasdam inter vos exortas ex palinodia quadam falsa, quam tu recantare incepisti, et more aegrotantium, qui ab institutis et vivendi regula per medicum demonstrata discedentes in graviorem infirmitatem conjiciuntur, a veritate recidisti, seorsum tum ad te, tum ad Hontherum scribendum mihi esse existimavi. Inimicitias istas vestras, quam iniquo ac dolenti animo accepi, Deus testis est

---

*) Eddig, mint már felebb érintém, Katonából.

quod vix effari possem, et alioqui nec plane credam adhuc, donec aut tuis aut Hontheri litteris certior fiam, quod ut tuis quamprimum consequar, mirifice desidero. Illud autem interim memineris, et Paulum Petro erranti a veritate evangelii in facie restitisse, et Petrum aequo animo sanam fratris admonitionem pertulisse. Noluit enim Deus hominem solum esse, ne si caderet, quum ad cadendum semper est pronus, sublevantem non haberet. Si itaque Hontherus, quemadmodum verum apostolum convenit, tibi sese et Paulum et Achatem et Theseum, (profanorum exemplum adjiciam), exhibuerit, quem in solitudinem ab ecclesia malus forsan quispiam homo segregavit, num pro pane lapidem, aut pro pisce serpentem porrexit? quod haudquaquam mihi de isto viro et homine christiano persuadeo, cujus fides, charitas et in evangelicum ministerium pietas non solum apud nos, verum etiam apud exteros in summa celebritate versatur. Non possum illi non favere, nequeo te non amare, et utrumque vestrum suavissime uno eodemque amplexu complector, dum alteri proficienti et supra multa a Deo Patre ob talentum non segniter auctum constituto, gratulor, alteri divinam gratiam et ad veritatem receptum precor ac suadeam. Haec ad te, pauca quidem nunc, a charitate invitatus, qua tibi in Christo sincere afficior, perscripsi. Quod si tu quoque certam causam dissidii vestri significare non gravaberis, scribam alia et plura his, quantum spiritus sanctus mihi suggeret, adnitarque ut infirmitati tuae tum verbo tum oratione, ut fratrem decet, succurram. Hoc unum addo. Cave, mi Hieremia, ne quod hucusque, cognita jam veritate et gratia, in terra bona, cum spe maxima centupli seminaris, ad aratrum respiciens, tribulos ac

spinas colligas, et ut Euridice a Plutone corripiaris. Etenim in virtute omnibus momentis non proficere, magis deficere est, et qui cum Christo indies non colligit, indies dispergit. Perseverantes igitur et constantes coronam immortalis gloriae accipiunt, et in dexteram Dei cum benedictis promoventur servati. Vale. Albae Juliae Transsylvanae. Nonis Martii MDXL.

XL.

Honther Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Honthero S.

Dolerem, si reditum meum in Transsylvaniam ab aliis prius, quam ex litteris meis percepisses, quod scirem, merito me negligentiae vel potius oblivionis crimine abs te accusari posse, quo quidem utroque, ingenue et amice fateor, ita carui, ut decuit hominem, qui nunquam in amicitia reprehendi solet, in ea praesertim, quae mihi tecum intercedit. Nam nec negligentem me, nec oblitum tui fuisse dixeris, si binas litteras meas Buda ad te datas acceperis, quarum alteris et ultimis scripseram, quam et regi et toti consilio grata probataque exstiterit tua in jure civili epitome. Aderam equidem, quum et allati et distributi fuere libelli. Caeterum si posteaquam Albam veni, mensem jam elabi passus sim, quo nihil ad te scripserim, causa est, quod semper, quum ex aula domum redeo, ita exhaustus ita expressus pecuniis redeo, ut spon-

1540. mart. 7.

giam seu pumicem quendam diceres; redeo autem ut vides, raro et plerumque ut hospes et novus quispiam homo, nihilque est, quod non male curatum, negligenter cultum et segniter administratum reperio, adeo ut ab ipsis initiis cogar rem familiarem identidem auspicari atque statuere. Qua ex re tales molestiae perturbationesque animum mihi occupant et obruunt, ut respirare vix possim, nedum officiorum in amicos recordari. Sed de privatis satis. Non dubito aequum te mihi hoc loco censorem fore, bonique omnia haec consulturum, qui scias, quam raro sui juris sint, qui negotiis publicis impediuntur et principum aulis mancipantur. Illud profecto a te, mi Honthere, desidero, velis quamprimum de statu ac salute tua certiorem me facere. Nam sanum me esse, ex his intelliges. Quod vero ad reliqua attinet, ego hujus praesentis vacatiunculae, qua mihi pauxillum abesse a curia permissum est, non infimam partem statui litteris saltem et cogitatione tecum consumere, si coram esse, colloqui, congredi atque gradi non licet, cupiens tandem adesse tempus illud, quo amicitiam ac benevolentiam nostram veterem jam mutuis aspectibus jungamus et confirmemus. Ac nunc quidem denuncio, me ubi primum reliquum hiemis remittetur, mitescet coelum et viae aperientur, mox Brassoviam, Deo favente, non ipsius Brassoviae, non Alutae, non Burciae videndi causa, sed tui amplectendi gratia venturum, nisi in curiam revocabor. Nova si quae habes de hujus regni motibus per vaivodas excitatos, quos et clandestinos et non leves esse audio, perscribes ad me, velim. Rem, hercle, pergratam mihi feceris, si quod scias, mecum communicabis, idque non tam, quod nos huic patriae nostra industria aut consilio valeamus prospi-

cere, sed ut saltem compatiamur et commisereamur miserae, et casum ejus defleamus, quam, nisi quidam conquieverint, scito, brevi periclitaturam, quum res ejus in extremo jam cardine aguntur, atque ad sacram, quod dicitur, anchoram perductae sunt. Vale. Albae Juliae Transsylvanae. Nonis Martii MDXL.

XLI.

Statilius Jánosnak, nagybátyjának, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo S.

Stephanus Maylad et Emericus Balassa hujus regni Transsylvaniae vaivodae comitia indixerunt his tribus nationibus, scilicet nobilibus, Seculis et Saxonibus, celebranda septimo idus Martii in oppido Seculorum, Vasarhel appellato. Hesterno die in sacrario lectae sunt litterae vaivodae Maylad, quibus capitulum quoque pro regni consuetudine eodem arcessit, neque ascribit causam. Hoc tantum: ob necessitatem et ardua hujus regni negotia, intellecturi ea, ubi aderitis. Per brevitatem termini, et quod eadem comitia tamdiu intra sinum tenuere recondita, suspicio omnibus minime bona insinuatur. Joannes Myndzentinus scribit Hadriano Wolffardo vicario suo Thorda in hunc modum: Conventus generalis Saxonum, Seculorum et Nobilium per dominos vaivodas in oppido Vasarhel habebitur. Vos rebus vestris diligenti cura providete. Occulta procul dubio, et nociva ex

1540. mart. 7.

hoc seditio erumpet. Hodie quum in domo mea ex more fratres convenissent, decreturi, quosnam eo missuri essent legatos, Emericus Vegedius archidiaconus Thordensis, machinationis hujus primus et summa fide index, clam se ab amico quodam commonefactum retulit, hoc regnum, quod diu parturiit, in his tandem comitiis editurum, et conspiraturos quosdam praecipuos aut contra dominum regem, aut contra te et Georgium Utissenium Heremitam, thesaurarium, radicemque hujus conatus in Hungaria et quidem in majorum pectoribus esse. Diu nos ancipites, quid agendum, quid respondendum in comitiis nobis erit, si nos quoque hujusmodi conspirationi cogemur dare nomina, deliberare adhuc prorsus nihil scivimus, ne nunc quidem, tamquam inopes consilii, praesertim quod contra tum principem, tum praelatum nostrum struantur machinae. Quare maturavi quamprimum, ut par fuit, per hunc puerum meum de his comitiis te facere certiorem, si forsan ignorasses, quod non dubito, quando sic ex insperato ea sint aggressi, neque adhuc constet, an de voluntate majestatis regiae fiant nec ne, quum in litteris nihil tale expressum sit. Censeo itaque festinanter infirmitati ac trepidationi nostrae ope atque consilio succurrendum, et pesti huic atque incendio prius quam validiores vires assumat, occurrendum esse, ne graviora succedant. Porro nos dabimus pro fide nostra operam, ut etiam cum vitae ac fortunarum nostrarum periculo omnia agamus, quae ex animo et commodo tam regis quam tuo fore arbitrabimur. Illud autem scias, quod quam tempestive adhibuimus accuratiorem custodiam Enyediensi castello, tam certe e re nostra opportune successit, quod nisi fecissemus, paucis post diebus insidias op-

pidum illud fuisset expertum magno cum nostro detrimento, quemadmodum ex amicis plane intelleximus. Nam ecclesiae bona primae praedae erant promissa. Ad regem de his nihil scripsi, sciens te has ei litteras ostensurum, si opus erit. Nos his nostris muris satis laxis et debilibus invigilamus pro viribus, sicut et reliquae civitates ac fortalitia Transsylvaniae totius. Jubeas tantum, ut portae hujus loci, tam tuae quam nostrae quae capituli dicuntur, muniantur et murorum pinae tabulatis sternantur, propter vigiles et propugnatores, si quae vis ingrueret. Ego satis assidue urgeo, sed nihil proficio, tuo precepto opus est. Vale. Albae Juliae Transsylvanae. Nonis Martii 1540.

XLII.

Pesti Gáspárnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Gaspari Pestino S.

Accepi litteras tuas, et querimonias intellexi. 1540 mart. 8. Equidem doleo, rem tibi de sacerdotio canonicali in ecclesia mea Budensi ex sententia non successisse. Causa est, quod jam post litterarum tuarum, ut dicunt, exspectativarum emanationem, idque paulo ante discessum meum Buda, ab amicis quibusdam monitus, te uno digito et quidem indice, celebranti sacerdoti praecipue necessario, mutilatum, et hac de re inhabilem ad obeunda ejusmodi beneficia in ecclesia esse,

quippe cui celebrare cum decore et artuum externorum integritate, sic manco non liceret. Igitur canonicatum, quem tu jure inire debebas, in alium contuli. Id ego quum non negem me fecisse, tum te citra injuriam a me accipere, fraterne hortor et oro. Alioqui si haec mutilatio promotioni tuae nihil obsit, disquiras a juris peritis, paratus sum profecto optatam tibi in hac parte navare, ut fratri, operam. Plurimum autem falleris, si secus hoc interpretabere, quam a me profectum est. Cavi enim mihi etiam cum tuo incommodo, ne in posterum a majoribus meis reprehensione aliqua inscitiae perstringerer, cui non assuevi. At si aequo id animo pertuleris, prudenter facies, et quod contendendo pervicacia obtinere non potueris, patientia atque aequanimitate suo tempore copiosius, Deo dante, consequeris. Vale. Albae Juliae Transsylvanae VIII. id. Martii MDXL.

XLIII.

Bona lengyel királyné, Verancsics Antalnak.

Bona regina Poloniae Antonio Wrancio G. E. S.

Venerabilis, sincere nobis dilecte. Cum mittere- 1540. tur ab hac regia majestate Poloniae, domino et conjuge nostro honorandissimo, ad istam regiam Hungariae majestatem in legatione magnificus Petrus Kmyta de Wysnicze, palatinus et capitaneus Cracoviensis, regni nostri marsalcus, Premisliensis, Colensis et Sepusiensis capitaneus, voluimus has nostras litteras ad vos ei dare, quibus et salutem vobis et omnia prospera precamur. Postulamus autem a vobis, ut in rebus, quae ad honorem et dignitatem status serenissimae dominae reginae vestrae, filiae nostrae dulcissimae pertinent, tam apud istam regiam Hungariae majestatem, quam apud alios dominos Hungaros fide opera et studio vestro deesse nolitis. In quo officium nobis vestrum probabitis, et rem gratam serenissimae isti reginali majestati et nobis etiam facietis. Postulamus item, ut de rebus novis saepius ad nos scribatis. Cupimus vos recte et feliciter valere. Datae Cracoviae die ultima Decembris MDXXXX *).

---

*) Világos, hogy itt 1539-nek kell állani, mit Verancsicsnak 1540. martius 12-én kelt válaszából is láthatni. Egyébiránt igaza lehet Katonának, midőn gyanítja, hogy Bona királyné cancelláriusa dec. 25-ét vévén fel az év első napjául, dec. 31-dikét már 1540-hez számithatta.

XLIV.

Bona királynénak Verancsics Antal.

Bonae reginae Antonius Wrancius felicitatem.

1540. mart 12.

Quod ad litteras vestrae majestatis, quas accepi XI. kal. Februarii ab illustri et magnifico viro Petro Kmyta, majestatum vestrarum ad sacratissimum dominum regem meum oratore, serius quam par fuit, et quam servitus mea vestrae majestati addictissima exigebat, respondi, peto supplex, dignetur mihi clementer ignoscere. Per eos enim dies vix ter aut quater alloquuto eodem oratore, et fide, studio ac opera mea, desiderio vestrae majestatis, quantulacunque sint haec in me, oblata, missus fui in Transsylvaniam, ut in episcopatu avunculi mei bonis rationibus essem, donec motus, qui proxime in hoc regno fuerant excitati, sedarentur. Sperans autem indies reditum meum in curiam futurum, distuli majestati vestrae respondere, quum id plenioribus litteris postea efficere decreveram. Verum quum rei hujus exitus propter quorundam inprobitatem longius, quam putabamus, abiit, adhuc in Transsylvania consisto, neque in curiam receptum sum habiturus, quamdiu a majestate regia mandatum accepero. Summum alioqui desiderium meum est et semper erit, ut ibi majestati vestrae inserviam, ubi et officium meum eidem magis probari possit, et pro voluntate ejus magis opportunum necessariumque esse sciam. Potissimum vero in his rebus, quae nunc de

statu ac dignitate serenissimae dominae reginae meae, Isabellae, filiae majestatis vestrae dulcissimae, tractantur. Cui quidem ex animo et felicitatem omnem et quam faustissimam posteritatem omnes, qui regnum hoc salvum volumus, a Deo precamur et flagitamus. Quod autem majestas vestra parvitatem meam apud hanc majestatem principis mei et primates Hungariae aliquid putat esse, tam ingens et arduum negotium mihi commendans, gratiae et clementiae ejus in me, non virtuti nec ingenio aut merito meo tribuo. Idque arbitror majestatem vestram in illum finem facere, ut isto judicio suo, apud meos serenissimos principes nonnihil incrementi rebus meis afferat et addat nominis. Quod ut ego aliquando, non gratias habendo solum, sed re ipsa et cumulatiore obsequio gratificari possim, assiduis votis facultatem dari mihi percupio. Nec dubito majestatem vestram pro prudentia et magnitudine sua hujus animi mei promptitudinem ac devotionem perinde habituram, ac omne etiam maximum, quod a me praestari debuisset. Sed postquam ita me a curia oportuit abesse: explevisse hoc officium meum avunculum etiam mea vice, majestas vestra non dubitet. Est enim bonus et propensus servitor tam serenissimae reginae suae, quam majestatis vestrae, seque, ut intelligo, in omnibus, quae ad amplitudinem et ornamentum majestatis ejus pertinebant, integerrime gessit, non oblitus reverentiae, qua majestatem vestram quoque prosequitur. Nam et ipse in Transsylvaniam erat venturus, sed majestas regia illum, cujus fidei et consilio plurimum tribuit, huic tractatui voluit omnino interesse, qui quonam modo sit absolutus, nondum mihi constat. Faxit Deus, ut omnes hae majestates sicut necessitudine factae sunt

conjunctiores, ita omnia fausta et prospera juxta commune votum consequantur. Tua majestas felicissime valeat. Albae Juliae Transsylvanae IIII. id. Martii MDXL.

XLV.

Statilius Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo S.

1540.mart.12. Motus hi, quibus regnum hoc coepit intumescere, adhuc turgent, neque eos ulla ratione video sedari posse, quum in dies novis et quidem validioribus in omni parte obruitur, ac pestiferis factionibus totum disjicitur adeo, ut judicatu non est difficile, quin in gravissimas aerumnas atque calamitates brevi sit casurum, nisi mature et authores puniantur, et qui tanto sceleri assensere, consilium immutent. Porro et Seculi et nobiles falsis ejusmodi persuasionibus a mente sana et quietis studio abducti, alienae ac certe duorum ambitioni cupiditatique inservientes, procul dubio ad extremum exitium tum se, tum patriam dudum inclinatam, praecipitem dant. Amicus quidam ad me scribit in hanc sententiam: Nunc, inquit, in tota Seculia motus et conjurationes intestinae, authore eo, (Stephanum Mayladum vaivodam innuit), qui me aliquando Sclavum hominem solitus est appellitare, scaturiunt, roboratae quidem subscriptionibus omnium, qui litteras didicerunt, qui non, signo crucis. Recu-

santes vero id facere, (ita enim sese mutuo devinxerunt) vi coguntur tam nefario sceleri dare nomina. — Nec adhuc penitus exploratum aut perspectum habemus, in quem finem ista miscentur. Fertur tamen vulgo, ut intercipiant regia munera caesari Turcarum decreta, quae proxime Joannes Kallay invexit, et in oppido Segesvario metu horum conservavit. Alii, ut arcem Balvanos Novum, quam recens Georgius Heremita, thesaurarius, jussu regis erigi fecit, disturbent, metuentes, ne, si in Turcarum aut Valachorum potestatem veniret, periculum Transsylvaniae afferret, quum in loco natura ipsa munitissimo, proximitate fluminis Samosi, alioqui etiam opere fortissimo exstruatur. Nonnulli dicunt contra ecclesiasticos et praesertim contra te aculeos intensuros; non oportere, inquientes, nos tantis opibus affluere, non deliciis difluere, sufficereque clerico victum ac vestitum. Verum quamplurimi affirmant Maylatum cum collega suo Balassa tyrannide Transsylvaniam invasurum, divisurumque ab Hungaria, et in ea, instar vaivodae Moldavi et Transalpini, quotannis pendendo tributum, Turcae auxilio et consensu dominaturum. Hincque eos moliri arcis Balvanos Novi ruinam, ne ex ea impediri possent, ecclesiae vero bonorum occupationem, ut fiscum dominii sui augerent, arbitrantur. Sed haec omnia nobis proxima comitia plane indicabunt, quae ut quamprimum intellexero, ita celerrime perscribenda curabo. Hoc dumtaxat interim volui te habere, ut singulorum dierum acta et successus harum turbarum non *) ignores, meque scias, ubivis gentium malle id temporis esse, quam in Transsylvania. Tam mihi

---

*) Az eredetiben itt tíz levél levén jelenleg kivágva, az epistola végét Katonából adjuk.

adversi sunt moderni ejus mores, per nimiam cum suam ipsorum licentiam, tum per summam Joannis regis indulgentiam corrupti.] Vale. Albae Juliae Transsylvanae IV. id. Martii MDXL.

XLVI.

Mihály testvérének Verancsics Antal.

1540. mart. 20. Non sum divinus, sed praescivi, tuum superioris anni abitum ex Hungaria cruces istas tibi allaturum, in quas te nunc fortunae malignitate adactum lamentaris. Consilium illud tuum, scis, quam vehementer improbavi, quum, ut adhuc plusculum mecum perdurares, instíti; quandoquidem videbam, nec tempus congruum mutandae tibi conditionis, nec mihi rem adeo esse parabilem, qua et pro tuo commodo et ex honore meo domum proficisci potuisses. Italia tota flagrabat bello, et novis in Turcas motibus fervebat. Veneti, destituti ab imperatore Carolo, vel potius opinione sua, christiana alioqui, cum detrimento maximarum impensarum delusi et ad Triarios ferme redacti, de extremis jam cogitabant. Dalmatia, fame ac Turcis obsessa, in ipsis gutturis faucibus coangustato spiritu premebatur. Tu vero initurus rationes status tui, quem optimum et perfectum reliquae vitae tuae proposueras, proh Jupiter! quam intempestive festinus domum properabas. Sicut igitur inconsulte discesseras, ita inconsultius rediisti, et certe tam me quam fortuna tua, cujus tantopere iniquitatem accusas, invita. Neque credas, te magis avunculum, quam

me offendisse. Ego enim quicquid pecuniarum, argenteorum vasorum, annulorum equorumque tum temporis in promptu habui, tibi erogavi; ac, postquam te satis et varie exercitum fuisse diceres, optaresque reliquum jam aetatis tuae certis ac firmis sedibus collocare, admonui: ut, initis fauste ac feliciter nuptiis, quas tam mirifice appetebas, domi familiarem administrationem subires, foveresque paternam senectutem, quam solam curam tibi esse jactabas. His omnibus nec attentatis, nedum praestitis, viso tantum patre, et domo patriaque a limine salutata, Venetias mox, tamquam non fuisses satisdum divagatus, enavigasti. Avunculus ipse, quem ibidem repereras, volens jam rebus tuis consulere et conditionem tibi aliquam non debili medio addere, in Gallias misit, insigni ac maximo illi regi in aulicum commendavit et viatico non parvo est prosequutus; pollicens, se longe plura facturum, si virum te praestitisses et ad virtutem majorem nitereris. Hoc etiam neglecto vel potius rejecto statu, contempta cura avunculi et pietate plus quam paterna, quam tu feritatem ac malitiam vocas, quum mel pro veneno, album pro nigro tibi subditum scribas, pusillo labore atque incommodo non tolerato, e Galliis abiisti et rediisti. Quo? unde adversam fortunam fugiebas. Cur? ut plus ruboris mali ac ignominiae perferres, et indignatione avunculi semper praesente perpetuo frangereris. Quis vel ex his paucis inconstantiam tuam non damnet, summopere et avunculi pium in te animum et beneficium meum non probet? Utrumque nostrum fefellisti. Soli tibi obfuisti. Sed esto: errasti ut homo, nec factum potest infectum reddi. Verum enim vero, cur potius calamitatem istam tuam inconstantiae tuae, quam fortunae, non impin-

gas? Haec enim proficiscenti tibi in Gallias avunculum, qui te, scis, tuo olim crimine, vatiniano odio insequebatur, reconciliavit, fraterno aere juvit, et aulae maximi omnium Christianorum regis, honesta conditione copulavit, collocavitque in gradu, ex quo progressum ad omnia summa ferre potuisses, si virtute nixus, vel tantillum pati voluisses, quum nec humana nec divina felicitas sine labore cuiquam tribuatur. Satis erat, meo judicio, tuae juventuti viam ac modum ad hanc consequendam, quae humana est, ab avunculo et fratre obtinuisse. Par erat, ut tu quoque laborem, industriam ac tolerantiam tuam adjecisses et fortunae cavillantis certamina, quae recens evectos saepe experiri consuevit, fortiter pertulisses, tametsi te in majores etiam miserias conjecisset. Ipsa enim fortuna ignavos aspernatur, et superari vult a fortibus, ut magis faveat ac pareat expugnata. Sed audi Socratem. Is miseros dicebat, qui miserias non cognovissent, et felicissimos, qui innocentes multa paterentur. Plato solam patientiam robur totius philosophiae appellabat. Quintilianus vero nullum dolorem mortales habere voluit nisi ab impatientia. Tu graviora effecisti mala tua, qui non tulisti. Nam, ne secundo quidem vestigio posito, vix intellectis, quae adversari videbantur, et neque degustata ulla amaritie, momento succubuisti. Neque pudet defendere, quod, etiamsi memineris, crimen est. Priusquam enim haec tibi contigissent, non ignorasti fortunam natura mutabilem, animum vero debere esse constantissimum, virorumque virtutem non prosperis sed adversis probari. Tute igitur ipsum accusa, frater, quod aeque animo ac pede vacillaris. Fortuna lapsus suos servat, nec naturam mutat, eaque sola animi constantia, sive

sit dextera, obtinetur, sive sit sinistra, superatur. Ubi autem in avunculum nostrum, utique, per Deum, beneficum, istius infortunii tui contorques causam, inique et imprudenter agis. Patere me meo jure tecum loqui, natu enim major sum. Ex contumacia tua et malo animo, quo semper in eum fuisti, ferum ac malitiosum existimas, illumque accusando, qui putas, te excusaturum iri apud eos, qui et nos et ipsum cognoverunt? Etenim quae ipse, ductu inprimis solius Dei, virtute dein ac ingenio suo, toti Europae celebratissimo, cujus et avo et patri perexigua res domi fuit, non est assequutus ornamenta, dignitates, honores, divitias! Et, ut omittam multa, quae in multos tam suae quam nostrae familiae contulit, quo me honore, nomine, beneficio non affecit? Puerum saepe in ulnis, ut filium dissuavians, gestavit; et in ephebis constitutum, Scardinae canonicum feliciter fecit; in Hungariam postmodum, adulta jam aetate, adductum, Vesprimii, tamquam praecipua illius cura fuissem, archidiaconatu Simigiensi auxit; illinc in Italiam misit et in Patavino gymnasio fovit, eque rudi ac barbaro homine latinum reddi curavit; revocatum tandem ad se, in secretarium Joannis regis creavit et in consilio tanti principis locum mihi obtinuit; ornavit dehinc praepositura Budae Veteris, Transsylvana ditavit, quibus adhuc fruor, nisi saevitia et tyrannis Mayladi hanc, illam Germanus princeps interceperit. Regiis ad haec legationibus quinque: ad pontificem Romanum, Clementem; ad Galliarum regem Franciscum; ad Anglorum Henricum; ad Polonorum Sigismundum, et ad Senatum Venetum illius studio atque opera honestatus, et multis claris urbibus virisque cognitus exstiti. Quid memorem spes, ad quas me

sua pietate, non mea ambitione erexit, qui jam bis episcopum me Joannis regis munificentia fecerat, nisi alterum tempora rapuissent, alterum nota culpa mea denegasset. Te puerum diu ubique secum habuit; sua omnia tuae fidei credidit; regiis Cracoviae et Viennae Pannoniae civitatibus litteraria eruditione imbuendum tradidit et de suo suppeditavit; sacerdotio dehinc non contemnendo in Transsylvia donavit, quo tametsi delatione malevolorum postea privavit, non tamen per eum fuit, quin longe majora beneficia in te contulisset, si aequo animo sustinuisses tanti avunculi, alioqui ultra humanum modum iracundi, voluntatem, inque illius correptione non feritatem sed paternam pietatem intueri voluisses. Scis, me non ignorare, quod te ei semper durum, difficilem, intractabilem vel indomitum potius exhibuisti; et nunc tam vehementer admiraris, quod tantus dominus tanta contentione cum pulice litiget, et immortale, ut ais, bellum gerat, neque consideras, majorum affinium, qui parentum loco habentur, si benefici fuerint, brevem iram esse, gignere tamen longissima gaudia; et, si, quod injucundum est, ferre recusabimus: quod juvat, quo pacto obtinebimus? Tu autem, homo adolescens, et velut navis in vasto et dubio alto incertis ventis exposita, voluntatis salubrioris impotens et firmioris consilii nondum capax, tuo ipsius ductu, abjecta avunculi, immo parentis nostri optimi disciplina, fruendo omnibus, quae placuissent, putasti, te non collapsurum, et evasurum quae aetas immatura per imprudentiam saepenumero incurrit? Is enim, si nos mollius si indulgentius educasset, nonne, dudum fuissent men-

tes nostrae fractae et corpora ipsa in delicias ac luxum resoluta! — — — *)

Quod ad me attinet, abjicere te nequeo, nec volo. Nihil in me tibi praesidii aut opis unquam deerit, quantacunque res mihi fuerit, modo desinas in avunculum esse iniquior, qui in utrumque nostrum aequissimus est. De indignatione vero illius in me, non est, quod multum afficiaris. Ultronea mea criminis confessio et tolerantia solita, qua ipsum alias saepe placabilem in me converti, veniam suo tempore impetrabit. Laetus equidem omnia perpetiar, deprimi etiam non recusabo, ut ipse evehatur et maximus fiat, contentus ego vel tenuissima umbra Statilii ero. In quo si tu me, frater, imitabere, non te poenitebit, et vives valebisque. Vale. Albae Juliae Transsylvanae XIII. kal. Aprilis MDXL.

---

*) Ezen jegyek : — — — Katonánál kihagyást jelentenek, s miután e levél is kiszakasztatott az eredetiből, a hézagot itt sem pótolhattam.

XLVII.

Móre Péternek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro More S.

1540. mart. 21. Jam pridem scio, quod te amicum ex animi mei sententia habere non possum, tametsi omnes officiorum ac benevolentiae numeros in te experiar et effundam, idque non quod ego nolim, sed quod tu. Nam ipse manibus ac pedibus, immo totus in tuam amicitiam propensissime feror, sed abs te illudor, abjicior, contemnor, neque mea, sed tua solius causa, et falso quidem atque iniquo judicio tuo. Per Posgainum adolescentem meum renunciasti, quod Albae hic mihi ab arcis hujus praefecto Emerico Kewendy reddentur illi pauci numi, quibus debes; litteris vero tuis venturum te et debito satisfacturum polliceris, quod quando futurum sit, vix calendae Graecorum norint. Hortaris ad haec, ut libere et tibi et tuis hic omnibus praecipiam, cum quibus obtemperaturum te mihi in omnibus, quae imperarim, nimis jactitas. Scito tamen, quod me non fallis, quodque Valachus es, me non ignorare! Verum, cedo, qua ratione jussis meis parebis, si preces respuis? Atqui differs dumtaxat et nugaris, variasque interim occasiones et momenta rerum opperiris, quibus multa immutari speras, dum comitia, quae nunc habentur, jam pariant, quod conceperunt, eoque procul dubio animum intendisti, sine fuco loquor,

ut per praetextum novarum rerum hujus regni, meum, quod apud te est, injuria in crumenam tuam recondas, non inscius proverbii illius: saepe multa inter os et offam. De vigilantia nostra et praesertim mea huic loco necessaria, omnia polliceor et regi et avunculo meo, quae per fidem ac diligentiam meam exhiberi possunt. Sed nisi muri Albae Gyulae vigiles ac excubitores suos habuerint, frustra certe tantae huic moli ac laxitati ab iis paucis mystis, et inermibus, ne dicam, delicatis clericis invigilabitur. Sat una nox erit, quum omnes negligentissime edormiuntur, quae ne somniantes quid tale facile nos opprimet, tanta solitudine ac desolatione tenentur haec moenia. Quod si Gelam Albae proponis, toto coelo ac terra erras. Hinc enim episcopatus cognomen, hinc titulus est. Hic epicopi sedes, hic jus ecclesiasticum, hic authoritas geritur eumque semper praesulem suum Transsylvani agnoscunt, vocant, venerantur, quem Alba tenet. Vale. Albae XII. kal. Aprilis 1540.

XLVIII.

Tarnowski Stipkónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stipconi S.

1540. mart 23

Quod litterae, superioribus diebus ad te quas dederam, acerbiores visae sint, longeque in deterrimam partem fuere acceptae, quam scribentis animus exstitit, plurimum doloris ac molestiae percepi. Neque credas me voluisse aut te aut ex Polonis quempiam carpere. Sed audito nuncio illo, mihi profecto ingratissimo, qui me delatum esse apud istas majestates et te, attulerat, nullo pacto mihi temperare potui, ut in delatorem meum, utpote mihi non ignotum, scribens ad te, invectus non fuissem, quem quidem ex nostris aulicis, nec rogatum, nec studio meo quaesitum, ad hoc improbissimum factum nactus eram. Cujus nomen si noscere concupieris, a tua regina poteris intelligere. In eis autem litteris nullum alium errorem me admisisse existimo, quam quod in ea defensione mea, ad tantum virum scribens, mox ipso initio nimius fuerim, et fortasse etiam minus circumspectus, propter iracundiam, qua medullitus exarseram, quod, velim, animo meo tanta injuria exulcerato ignoscas. Dein quod nomen delatoris non ascripseram; quod fecissem procul dubio, si suspiciones has ex illis oriundas fuisse conjicere potuissem; alioqui ex industria etiam id feci, ut inimico homini parcerem, reticendo, quod ejus honorem laederet, ex quo facile candorem meum co-

gnoscere est. Ne igitur me aut contra te, aut quempiam alium gentis tuae male affectum putes, a quibus et honeste et pro decore tam tuorum quam meorum principum largiter habitus sum et humaniter tractatus. Sed postquam ita fato meo accidit, ut ad veniam mihi pro alieno crimine sit accurrendum, faciam, eoque libentius, quo te humanissimum sciam. Deus enim mihi testis est, quod secus haec res sese non habet, quam accepisti. Vehementer itaque rogo, ne in alium finem litteras illas meas interpretari velis, quam nunc hoc meo testimonio interpretantur. Unde, dignum est, ut pro integritate ac prudentia tua, quacunque ratione in hunc labyrinthum sim inductus, veniam abs te promerear. Et si istae majestates quid indignationis ex hoc contra me conceperint, eas quoque omni dexteritate leniendas, et me in ipsorum pristinam gratiam pro amicitia nostra restituendum cures, quod facturum te minime dubito, tantum mihi de ingenii tui generositate polliceor. Quum autem Deus opus annuerit, ut iterum aliquando istuc veniam, dabo operam, ut cum satisfactione et istarum majestatum et tua, tam ego, quam ille, qui has turbas mihi concinnavit, clarius dignoscamur, alioqui nil ipsi adversi, nil mihi inhonesti cupio. Vale. Albae Juliae Transsylvanae X. kal. Aprilis MDXL.

XLIX.

Bona királynénak Verancsics Antal.

Serenissimae reginae Bonae Antonius Wrancius felicitatem.

1540. mart. 24. Etsi haec nova studia Transsylvanorum nota esse majestati tuae non ambigam, tamen ut solenne illud, quod ei pollicitus sim, fideliter observem, ne aliqua in parte unquam officium meum atque obsequium majestati tuae deesse videatur, perscribam ipse quoque. Verum cur nova dixerim, nescio, quippe quum semper Hungari ac Transsylvani hisdem inhaerent moribus, summum habentes solatium, communem quietem cum turbis, mutuam charitatem cum odio, et pacem cum bello commutare, principi praeterea non parere, et in hunc ipsum novas machinationes intendere, ut quod etiam hostis acerrimus et potentissimus huic afflictissimae patriae salvum reliquerat, perniciosis factionibus, intestinisque confluctibus praecipites in extremum exitium dent. Vulgatum erat apud nos, vaivodas hos nostros Transsylvanos, Mailadum et Balassam, conjurationem quandam cum potioribus nonnullis viris Seculis et nobilibus occultam inivisse, at potissimum in quem, plane non constabat, quia varii rumores variis et multis causis, ut in re tali fieri assolet, omnia compleraut. Ingens trepidatio cunctos occupaverat, arces jam, civitates et oppida custodiebantur, et qui possidebant, quod amitti pos-

set, ad praesidiorum curam, cogitationemque conferebantur. Ad haec omnibus his tribus nationibus: Seculis, Nobilibus et Saxonibus indicto conventu, major metus universos pervasit et sollicitudo hausit, quod omnino magni cujuspiam ac nefasti sceleris partus ex eo exspectabatur. Nam quidam in regem, multi in episcopum Transsylvanum, meum avunculum, et in Heremitam, regni thesaurarium, aliique in alios hujusmodi motus conjectabant erupturos. Verum habitis et absolutis comitiis in oppido Vasarhel VII. non. Martii, longe mitiora, et quae haud quaquam, ut ipsi dicebant, reprehendi possent, caeterum omnia languida et tumultuaria celeritate perfecerunt. Opinamur eam ob causam, quod praestigia ipsorum mature fuissent detecta, et ad aures regis delata, percipioque authores, eorumque complices ita esse consternatos implicatosque, ut explicare se sine magno malo non putent posse. Nam ipsum regem indignatum esse, et magnis itineribus in Transsylvaniam festinare jam certo habent. Miserunt ad ejus majestatem oratores ex unaquaque natione quaternos, qui suspiciones de se exortas indicent falsas esse, et quid decreverint, exponant. Petunt autem imprimis, ut rex illis declaret, quid pacis, quid hostilitatis habeat cum Turca. Etenim vereri se, ne ut Hungaris et Sclavis ferme jam alteris subactis, alteris de pilo pendentibus, idem, ipsis quoque insciis et oscitantibus eveniat. Praeterea census se quotannis assiduos et grandes persolvere, ignorareque in quem finem, quum ipse Turca bellum illis et extremam occidionem minitetur, tempusque belli gerendi jam aptum adesse, neque de sua securitate spem ullam videre. Caeterum ut ejus majestas pecuniam in Transsylvania cudi faciat, cujus maximam

inopiam apud se esse nemo nesciret, eoque res ipsorum esset deducta, ut jam merces permutare cogerentur, quum nequirent vendere. Et quaedam alia ad fidelitatem attinentia, non magni pensi habita. Sed adveniente rege, non ambigo ulturum malorum malefacta, resque hujus regni in vado collocaturum, et sedaturum omnes fluctus. Discessum Petri vaivodae Moldaviae in Turciam, puto majestatem tuam accepisse. Transivit hac V. kal. Februarii, ut dicunt, qui viderunt, sine motu, constans, hilaris et cum spe magna redeundi ad dominium, nihilque dejecti nihil impulsi ab adversa fortuna hominis prae se ferens. Sola uxoris ac liberorum recordatio vultum barbari immutabat, interdum etiam lachrymas excussit. Utinam scelestus et fidefragus Valachus, dum in sylva profugus erraret, ferarum morsibus concidisset. Tot certe curae nunc nobis fortasse non cumularentur nec geminaretur apud Solymanum malleus, quum et Hieronymum Lazkum illic esse, et egregie atque accurate in Joannem instructum aculeis intelligimus. Sed speratur, quod Deus Optimus Maximus ulciscetur malos, nec eorum pravis consiliis respondebit optato successu. Majestas tua felix valeat. Albae. IX. kal. Aprilis MDXL.

L.

János királynak Verancsics Antal.

Ad Joannem regem.

1540. mart. 24

Probe humano ingenio comparatum est, ut severitate senum juvenes gubernentur, hique maxime obtemperent, maxime illi imperent, quodque senibus pro eorum aetate aliquando licuit, juventuti suae negent licere, ac eam freno etiam coerceant, nempe ut jam securi a vitiis et destituti ab omnibus voluptatis incitamentis, quae adhuc nobis a fronte sunt et evincenda supersunt. Verum saepe numero et ipsi metas authoritatis excedunt, resecantes in juventute etiam illa, quae successivis aetatibus natura ipsa indulsit et omnium sapientum scholae permisere. Hic multa exempla, rationes argumentaque ad id facientia referre possem, si causa mea disputando magis quam supplicando salvari deberet. Etenim excessus nostri, qui majorum disciplinae subjacemus, horum praesertim a quibus exspectamus, longe graviores putantur, damnabilioresque efficimus, si aut excusatione diluimus, aut defensione denegamus. Igitur, clementissime rex, sit mihi in spontanea confessione venia, sit in tua clementia perfugium, sit in majestate protectio. Deliquisse me, non eo inficias, et ob id avunculum meum capitaliter mihi indignari, tuaeque majestati gravissime queri, deque beneficiorum meorum privatione, tamquam qui et amore ejus et gratia tua essem indi-

gnissimus, vehementer agere audio. Retulerunt etiam pientissimum responsum, quod illi majestas tua dederit, pro quo ego, si mille saecula superero, si mille mortes obiero, numquam me satisfacturum certo scio, verum, quoad vixero, fideli ac sedula servitute conabor me saepe deditissimum et promptissimum illi mancipium exhibere, eidemque ut non reprehendendis moribus, quocunque modo his annis lapsus sim, probari possim, quemadmodum hucusque studui, advigilaturum posthac enixius polliceor. Porro illud a tua majestate supplici oratione peto, velit pro regali sua bonitate avunculi etiam mei in me severitatem atque indignationem benignitate ac mansuetudine, qua est genuina, temperare, ne penitus ab eo projiciar. Est enim acerrimus censor et castigator delictorum, praesertim si haec in suis cognoverit, quos sine dubio virtute probitateque caeteros antecedere mirifice desiderat. Quodsi et apud te quispiam malevolus, praeter ipsum avunculum beneficentissimum (nam ipse paterne mecum agit) causam hanc meam difficiliorem iniquioremque reddidisset, itidem oro, velis aures huic obturare, et mihi pro humano hujusmodi excessu ea clementia veniam dare, quam in omnes homines, ut hostes, sicarios, insidiatores, proditores et jure damnatos praeteream, omni tempore, cum exemplo admirando animi magnitudinis, quotidie diffundis. Cui Deus optimus et omnipotens omnia fausta, prospera atque felicia, cum optata incolumitate concedat. Vale. Albae, IX. kal. Aprilis MDXL.

LI.

Menyhért csillagjósnak Verancsics Antal.

Ad Melchiorem Astronomum.

Summa laetitia annum hunc videbar mihi agere 1540. mart. 28. et incredibili desiderio ultimas, quas promittebas, exspectabam kalendas Februarii, eoque certe majore ac firmiore ducebar spe, quod haec palam et citra dubium affirmares eloquererisque, praesente et non invito illo, avunculo, inquam, meo, coram quo nunquam*) adhuc tuto mihi licuit significare vel unico nutu, ejusmodi me ambitiunculis aut tangi aut affici. Ecce, quam durum quam acerbum sese hujus ipsius anni exitus mihi praebuit! quam ingratae istae tuae advenere kalendae, et attulere omnia, ut vides, infausta et funesta, cum longissima multorum malorum serie, vereorque ne sint mihi omnium miseriarum principium, omnium bonorum, si quidem aliquibus unquam sim usus, meta! O nequam fortunae meae conditionem! Sic mecum agit omni tempore, ut cum Tantalo quopiam: arridet saepe, illudit saepius, nunquam eadem, nunquam diu certa, nunquam stabilis, et me, ut fallentis mos est, semper varia semper pendula detinet, omnibusque in rebus meis, tum laetis tum prosperis, velut intercalarem, aut, ut Graeci dicunt, embolysmon quoddam, tristem ac sinistram sese ingerit, ut his ingratis vicibus

*) Eddig kiszakítva ; a pótlás Katonából történt.

totos dies affligat, tuncque gravius, quum jam jam comprehendere mihi videor, quod offerebat, retrahit atque aufert, habens nec aetatis nec virtutis rationem aut personarum delectum. Praesens calamitas mea aliaeque plures, quae praeterierunt, erunt tibi argumento. Sed quid tam multis querar. Projectum me ab avunculo meo, remque meam apud eum ultimo esse loco percepi. Causam tibi constare non dubito, quae nemini non constat, ipsius inprimis avunculi mei publica querimonia, deinde inprobando aemulorum malevolorumque studio, opera, officio; ita ut plus offuere mihi proximorum delationes, quam ejusce rei culpa, cujus quidem vehementer me etiam pudet; nec scio, qua ratione expurgem me, quum difficile sit, persuasiones tales e vulgi pectoribus exstirpare. At, quum avunculum meum scio cultorem esse summae justitiae, summae prudentiae copiosum ac sapientiae exemplar, facile tuis rationibus acquieturum credo. Quare, si praescita tua nolis falsa mihi evenire, indue partes et fratris et amici, accedas ad avunculum, aperi illi quid res ista veritatis habeat, neque amori me, qui mihi impingitur, succubuisse *) nega, hominem dein esse indicato, et nepotem; postea ingeniose adhibe omne patrocinium, et me indignationi ejus eripe. Nam quicquid felicitatis mihi astra pollicentur, in Statilii manus collocarunt. Immo Statilius ipse et fortuna et sidus meum est felicissimum, quem tu si nunc mihi reconciliatum efficies, omnia vaticinia tua fauste ac feliciter evenisse cognoscam. Vale. Albae Juliae Transsylvanae V. kal. Aprilis MDXL.

---

*) Katonánál ilyes önkényes módosítással „neque factum, quod mihi impingitur, meum esse nega.“

LII.

Nagybátyjának Statilius Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo S.

1540. apr. 2.

Quam ingens dolor est displicere, cui quis aliquando placuerit et placere debeat, si vitam velit, tua me nunc edocuit indignatio, quae nisi a rigore suo, in me pravissime concepto desierit, ipse quoque desinam vivere, quandoquidem nulla potest mihi fieri onerosior sarcina, quam ira tua *), nulla major jactura quam gratiae tuae, nec infelicitas quam segregari abs te. Quum enim fortuna mea ex tua semper fuerit, quum felicitas ipsa, honores ornamentaque ex tuis prodere, qui possum in te et tecum non esse, si solus nequeam, nec, si quirem, volo? Quapropter age, avuncule pientissime, scis, generosi esse animi, parcere sponte confessi criminis ad veniam currentibus. Nam et leones prostratis parcunt, et divina ira submissione delinquentis in gratiam convertitur. Ecce factum, cujus causa mihi tantopere succenses, libere confiteor, neque mentiendo alienum facio. Malo siquidem etiam mori, quam vel semel tibi negasse veritatem, cui nemo unquam feliciter dixit mendacium. Verum enimvero tu, qui pro aequitate tua non solum alienis impunita delicta non remittis, sed etiam tuorum eorumque propinquissimorum acerrime vindicas,

---

*) A mi következik, Katonából pótolva, mert az eredetiből ki van szaggatva.

oro et obtestor, per integritatem tuam, per fortunam, qua es felicissima, per mutuam demum nostri sanguinis necessitudinem, velis te pium ac indulgentem mihi demonstrare, et hanc noxam, ut homo homini, condonare. Etenim operam dabo, ut in posterum vacuum me ab his offensis contineam, neque indignationem tuam unquam exstimulem. Hac tantum sola vice pro magnitudine animi tui, paterne agas mecum; teque mihi, tibi me restituas, et id criminis, quicquid id est, humane aestimes. Vale. Albae Gyulae IV. non. Aprilis MDXL.

LIII.

Tomori Lajosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Ludovico Tomoreo S.

1540. apr. 12.

Heri in aedibus meis facta est ratio, quantum quisque nostrum in summam mille florenorum, qui nunc regi pendentur, conferre debeat. Ejus rei rationem misi ad te in hac scheda huic epistolae inclusa. Videas rogo, quonam pacto nobiscum agatur. Summa haec soli capitulo injuncta est, et archidiaconi cum praeposito, qui suas decimas sine communione capitularium habent, maximam illius partem persolvunt. Qui quidem capitulares quantum numerum colonorum habeant, probe novisti, nec est opus, nunc me recensere, quod forsan ignorat etiam ipse rex. At si videbitur, agas apud ejus majestatem pro tua prudentia ac dexteritate, quam citius fieri possit, ut aut levemur

tanto pondere nos, qui dignitates vocamur, aut pensatis ambabus partibus, aequa lance ac bipartito jugum feramus, potissimum quum pretia decimarum nostrarum a nobilibus non reddantur. Ad me etiam qui in omnibus ferme bonis capituli partim tertias, partim quartas, alicubi etiam quintas proventuum portiones, cunctorum vero censuum ordinariorum, et quos ostoradó, id est flagelli census appellant, tertias percipio, horum dumtaxat, quod causa regis exiguntur, nihil attinere dicunt. Quod quum mihi non probaretur, satis diu cum eis contendi, sed quum nihil proficerem sine judice, distuli ad regiam et praelati nostri cognitionem, sortem alioqui meam dudum numeravi, ut mandato principis refragari non fuissem visus. Quod si nihil in rem nostram efficies, effice saltem, quod e re regis erit, ut majestas ejus imperet tributa seorsum canonicis, seorsum dignitatibus, facile certe pro quingentis mille, pro mille duo millia accipiet. Quum enim centum ducati omnibus ex aequo injungantur, canonici XXVIII. dumtaxat, digni*) tates reliquum explent. Vide, quid in majori numero oneris nobis imponunt: illi sunt XXIV, nos XIII. Forsan, hoc intellecto, aut exaudiemur a rege, aut iis fratribus nostris par referemus, cum majore tamen damno nostro, quod interdum leve facit indignatio. Cura ut valeas, neque hujus negotii obliviscere, nisi magis onerari velis. Vale. Albae pridie id. Aprilis MDXL.

---

*) Itt ismét több levél lévén kiszaggatva, az epistola vége Katonából pótoltatott.

LIV.

Nagybátyjának Statilius Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo suo S.

1540. jún. 24. Discedenti tibi Buda initia dumtaxat regis actorum in Transsylvania perscripseram, nunc ut prosequar, quae successerit, sic habeto. Quum et Mailadus, diffisus inocentiae suae, ad praesentiam regis venire noluerit, et Balassa, qui venerat, causam suam iniquam esse non ignorans, juri stare ausus non fuisset; rex ipse Thordae adhuc existens, in conventum advocatis judicibus, quid illi causae litisque cum utroque intercederet, cognoscendum judicandumque, praesente toto regno, exposuit. Insumpto tandem circa hanc quatriduo, nemo fuit, qui ipsos vaivodas manifesto crimini laesae majestatis obnoxios esse non judicaverit. Damnati itaque sunt et proscripti quaeruntur que ad necem omni diligentia ac studio. His peractis et conventu dimisso, mox ad oppugnandas arces Balassae missae copiae ac tormenta. Michael a Sombor praeerat arci Almas, quam, vix conspecto milite, intra brevissimum temporis spatium ad verba dedidit. Lecta similiter unico ictu bombardae incusso, quo portae ejus corruere, eadem facilitate accepta est. Diod postmodum obsessa et biduum tormentis acerrime petita, tertio, dejectis duabus turribus, ad

conditiones dedendi se, qui eam*) tuebantur, venere. Concessa itaque iis vita ac rebus, haec quoque in potestatem regiam cessit. Solus Petrus Gerendinus, qui ei praeerat, propter quartam jam rebellionem, ademptis rebus omnibus, interdicta patria, sempiterno exilio est damnatus. Fogaras obsidet Valentinus, cognomento Turcus, et Andreas Bathoraeus cum quinque circiter millibus Hungarorum, Saxonum peditatus non exiguus juxta est, et Seculorum omnes praecipui, exceptis nonnullis; ipsa plebes tota cum rastris, ligonibus et id genus instrumentis undique jussa est eo confluere. In hac arce ambo sunt vaivodae cum uxoribus et liberis, computatisque militibus, mulieribus, servitiis, et qui aetate sunt invalida, numerum trecentorum hominum excedunt, satisque jam anguste sedent, ut perfugae nunciant, et annonam tenuiter dilargiuntur. Rex ab uno mense, accepto Diod, hic Albae sese continet propter aegritudinem, quae sola eum ab oppugnatione Fogaras hactenus impedivit, sed jam admoventur bombardae, et reliquus exercitus eodem contendit, expeditoque oratore Caroli, Cornelio Dupplicio Sepero, et suo in Turciam dimisso, ipse quoque se hinc movebit. Quicquid autem difficultatis sumus habituri in hac expeditione, id Fogaras, judicio omnium exhibebit, verum nihil eorum praetermittitur, quod ad citam et facilem ejus expugnationem attinere videatur. Illud tantum obest, quod solito more mora ab incepto lacessimus, dum gratis omnia, et conditionibus, ut dicunt, qui impensis parcunt, honestis obtinere studemus. Proxime diu institit Mailadus apud Valentinum, ut se ad colloquium suum admitteret, aut

*) Eddig Katonából, mert e levél kezdete is ki van szaggatva az eredetiből.

nunciis saltem, seu litteris quaedam transigi secum pateretur. Sed Valentinum per multos dies vetuit princeps, quorundam tamen consilio inductus, tribuit ei facultatem, ut solis nunciis ageret. Caeterum edocuerat, ut offerret illi nomine suo arcem Galaad cum quingentis colonis, et reddita arce Fogaras, Transsylvania perpetuo careret. Ille ad haec Beche quoque et Bechkerek poposcit, utque collegae ejus ac Martino Gerendino vitae, bonorumque omnium gratiam faceret, quod minime obtinuit. Rex itaque in hoc nunc est, ut eos vi expugnet et puniat. Francisco Kendy satis aegre et cum dedecore vita, abjectissime summisso genu et muliebribus lachrymis petita, ac si quid pecuniarum habuit, permissum est, reliquis omnibus bonis et arce Weech amissa, pulsusque e Transsylvania, pro exilio irrevocabili Hungaria data. De conjuratis adhuc nihil actum, dictum tamen est, postea eos intellecturos, qui regis esset animus. Dilata igitur eorum est res, donec authores comprimantur. Unde tota Transsylvania vehementer timet, et in officio est, ut nunquam alias. Quod ad valetudinem regis pertinet, licet febres et stomachus male affectus causetur, neque veritatem ipsam morbi sciri volunt qui eum curant, propter vulgi inconstantiam, scito tamen a sinistra parte corporis, etsi non omnino ictum, perstrictum tamen nonnihil apoplexia. Nam Deus qui huic miserrimo regno illum tam cito non vult exstinctum, signis quibusdam praemonuit venturi morbi periculum. Mox igitur adhibitis purgationibus, quiete, cibi abstinentia, sanguinis emissione, et aliis hujuscemodi antidotis, non occupavit, sed tantum obstupefecit aliquantulum ejus membra. Nunc jam exit aliquantum in publicum, et convalescentis ac viventis

hominis speciem praebet, ut iis, qui se mortuum disseminaverant, occurrat. Sed proculdubio infirmus est, et interdum, ut a Ludovico Thomoreo ejus cubiculario intelligo, et pede et oculo titubat, molestissimeque omnia, nec illa solita hilaritate ac solertia agit, adeo ut non mediocriter reddimur omnes solliciti. Quod te quam primum scire volui, utpote scitu tibi pernecessarium, quum et hic omnes rebus suis magnas difficultates ominentur, si decesserit, hoc praesertim tempore, quo ad maximum in hoc regno incendium conjuratione Mailadi et Balassae patefacta est via. Heremita thesaurarius dudum abire in Turciam debuit, sed nullo pacto expelli potest, trahitque moras usque ad indignationem etiam regis, quum et chaus caesaris nuncius pro eo jam venit, et adhuc profectionem differt. Litterae tamen jam scribuntur, nec dubium est, quin intra septem dies movebit. De nostra mora aggrediendi Fogaras si quaeris, valetudinem regiam in causa esse quidam dicunt; multi existimant, quod conditiones, si quae ab obsessis porrigerentur, opperiuntur, ne saltem impendatur, quandoquidem indies noster exercitus sensim dilabitur. Sed de hoc parcius, quod per te largius conjicies, qui novisti hujus nostri genium. Huc accedit, quod et Valentinus Turcus gravissima et plena periculi aegritudine laboret, cujus curandae gratia, relictis castris, Albam concessit. Mailadus vero nihil territi, nihil dejecti hominis prae se fert, immo nisi gratiam optatam et honore suo dignam, nullo adhuc, ut jactanter gloriatur, scelere temerato, obtinuerit, nunquam se Fogarasium vita superstite amissurum denunciat. Omnes illi compatiuntur. De Balassa, ut de homine parvi pensi, aut nunquam nato, nulla mentio, nulla illius miseratio. Col-

legae etiam suspectum est ingenium, ob rei bellicae peritiam et morum vafriciem, nec quispiam est, qui omnem lapidem, si evaserit, non moturum putet, ut injuriarum recordetur. Ex Turcia a Petro Moldaviae vajvoda venit ad regem nuncius; ait illum honestissime a caesare haberi, et omnino in dominium suum pristinum brevi dominum rediturum, substitutum vero illi in Moldavia revocari ad Portam. Sed haec differentur, ut accepi, ad adventum oratoris nostri. Petit regem, velit aut arcem Chycho ei restituere, ut uxor liberius ageret, aut eadem dimissa, juberet Bistriciae dari mansionem. Responsum adhuc non est, nec respondebitur ad vota. Ejus nuncius cum Heremita expedietur. Stephanus Druget a Homonna et Bernardus Thamasy decesserunt. Gaspar Dragffy ab ipso sepulchro revocatus est, et ductus Lutheranismi poenitentia, quo deflagrabat ad libertatem carnis sine spiritu, juravit se in posterum catholicum Christianum acturum et more patrio ecclesiam culturum. Petrus Perenneus idem fecit de sacerdotibus, quos ad conjugia compulerat. Magna mutatio dexterae Excelsi, si non coecutirent. Is praesens annus magna siccitate affecit omnes fructus et sata terrae, pollicetur ingentem omnium rerum caritatem, et jam tritico ad LXX. denarios crevit pretium. Cancellarius tuus Werbewzy, et Quinqueecclesiensis episcopus, caeterique consiliarii regii recte valent, seque tibi commendant. Vale. Albae Transsylvanae VIII. kal. Jul. MDXL.

LV.

Verbőczi Istvánnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stephano a Werbwz S.

1540. júl. 6.

Audio te ad Solymanum Turcarum caesarem profecturum oratorem loco Georgii Heremitae, thesaurarii. Faxit Deus, ut hoc munus obeas peragasque sanus, incolumis, feliciter et ad vota, ac e re totius regni Hungariae cum exaltatione tua et regis nostri commodo. Caeterum exemplar proscriptionis vaivodarum vehementer habere cupio, prius quam pronunciatur in publicum. Ejus copiam si ante discessum tuum mihi non feceris, nescio an quispiam alius sit facturus. Id me consequuturum magna sum fiducia, quum nemo procerum sic me, ut tu amas, complecteris, promoveas. Quare si me unquam magnis aliquibus gratiis opportunius afficere cogitas, hac una nunc affice etiam atque etiam rogo, et per fratrem hunc meum Michaelem memoratam proscriptionem mittas. Polliceor me intra biduum remissurum, neque cum aliquo mortali communicaturum, quamdiu jussu regio publicetur. Quum enim res hujus calamitosissimi temporis, quantum ingenii ac eruditionis mihi est, mando litteris, seriem tantummodo conjurationis hujus Mailadinae ac Balassinae scire desidero, ne quid operae atque operi meo hujusce rei desit veritatis. Id abs te quum certissima peto atque efflagito fiducia,

tum eo me difficulter ab aliis potiturum scio, si tu denegaveris. Vale. Albae Juliae Transsylvanae. Pridie non. Julii MDXL.

LVI.

Verbóczi Istvánnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stephano Werbewz S.

1540. júl. 6. Fratrem hunc meum Michaelem Georgius Utissenius, Heremita, regni thesaurarius, proficiscens orator in Turciam, ducturus erat secum de voluntate regia propter usum linguae italicae, quum alioqui et hungarice et latine didicerit, croatam vero hauserit e matris utero. Nunc posteaquam ejus loco designatus es tu bonis avibus, qui utrique nostrum paterno affectu semper faveris, idem frater urget me quotidianis stimulis, velim apud te laborare, ut eum tecum ducas. Magnopere enim desiderat Constantinopolim, ab origine urbem imperatoriam, ac ejus imperatorem Solymanum, nostro aevo tyrannum potentissimum videre. Quare si tibi eodem usu ac eadem opera necessarius est, peto recipe illum conditione quacunque voles, sciet parere et exequi mandata tua pro aetate sua satis mature ac prudenter. Do eum fide, moribus, honestate ac litteraria eruditione non exigua praeditum. Caeterum quicquid sufficientiae experientiaeque illius defuerit, ingenium ac sapientia tua supplebit. Vale. Albae. Pridie non. Jul. 1540.

LVII.

Nagybátyjának Statilius Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo suo S. D.

Binas ad te non ita pridem, et utrasque parvo tempore dederam litteras. Alteras Cornelio Seppero legato caesareo, alteras Hieronymo Jacuino civi Vensonensi. Ex quibus Joannis regis nostri summum, vel potius inevitabile vitae periculum facile intelligere potuisti. Nam primis, simulac Albam Giulam pervenerat, apoplexia gravissime fuisse correptum, postremis, ad ultima redactum fata et vivendi spe omnino destitutum accuratissime descripseram, ne incrementis quidem morbi praetermissis. Habeas his ejusdem obitum, toti certe reipublicae christianae summo dolore deplorandum. Porro quum ei coeli mutationem scioli quidam persuasissent, quae vel omnium physicorum sententia, crescente adhuc morbo, indicatur esse plurimum metuenda propter vertiginem, quae ex intempestiva jactatione et lucis splendore causari consuevit, Saxosabesum sese contulit, ubi denuo apoplexia, postea etiam epilepsia per plures dies conflictatus, tandem solutis omnibus in languorem nervis corporis, officioque linguae consopito, decubuit, nonoque dehinc die, nullo interim sermone edito aut motu facto, nec sumpto epulo, sed perinde ac saxum jacens et interdum admodum torve intuens, acie oculorum in obliquum intenta, cum summa patientia et constan-

1540. júl. 26.

tia, quam semper sanus prae se tulerat, citra omnem molestiam atque horrorem, quo homines in agone vitae constituti solent cruciari, hora VIII. ante meridiem decessit. Eotum et motum terrae sensit tota Transsylvania, ut magni momenti regem obiisse mundus intelligeret, cujus mortem ne natura quidem signis carere voluerit. Verum ut ejus omnem transitum ex ordine intelligas, quidque postea actum in rebus publicis, quove pacto ubique tumultuatum inter proceres: longiore opus erit et quidem tali epistola, quales tu, dum abes, a me semper exigis, ut quanto tardius propter locorum distantiam perferantur, tanto uberiores veniant, nihilque, etiam quod in vulgi turba jactari intelligam, non exarandum curem, ut veritatem rerum ex multis multorum opinionibus, velut aurum ex montium ruderibus erutum ac repurgatum, facilius colligere possis. Itaque principio, uti jam habes, quum Saxosabesi morbus ex omni parte fortius illum occupasset, urgereque videretur ad extrema praesertim lue comitiali valde confectum, triduo ante quam ambulare desiisset, caeperant eum vires solito celerius destituere, advocatisque consiliariis, Stephano Verbucio, Petro Petrovio, Valentino Turco, Georgio Utissenio Heremita et Joanne Ezechio, (neque enim alios admitti patiebatur, quod aegritudo nimis eum deformaverat,) quantum in horas deficeret, admonuit. Quaedam etiam de statu rerum, ne tum quidem officii curaeque regiae oblitus, contulit. Interim advolat nuncius de nativitate filii, fit publica ubique laetitia et mutuae omnium gratulationes. Pater etiam resumpto nonnihil spiritu, factus hilaris, petit equum; adducitur, satis aegre inscendit, prodit in campum, quod vel ex instituto quodam pene quotidie faciebat, con-

firmaturus populos, eoque protractis bombardis duabus, quae vix bicubitali longitudine, pauloque dispari laxitate in altum diriguntur, indeque velut fulgura superne urbes casu, non impetu feriunt, vulgo mortaria appellatae, diu jaculatum, neque id feliciter, ut omnia ejus fausta infaustis miscerentur in finem usque, quemadmodum scis hominis fatum. Ubi immenso illo sonitu ac boatu offensus aures, semianimis rediit domum, questus assidue, stridore quodam valido adeo sibi repleri caput, ut armatorum acies in eo praeliari putaret. Postridie tandem in lectum corruit, tabulas testamenti condidit, factaque confessione ritu catholico, comedit sacrum panem et calicem bibit. Consiliarios deinde hortatus, ut curam tam sui quam regni sedulo gererent, ne, quod ipse sua industria, magno labore et multorum conviciis exercitus, Christianis reposuerat, eorum incuria in priorem fortunam periculaque recideret; uxorem ac filium suum non destituerent, et si e re publica fore judicabunt, etiam coronent; ex Austriae domo principem non peterent, neque unquam ejus generis cuiquam studerent, ne in posterum quoque graviora sustinere cogerentur, quam hac mea, inquiens, ut superiores reges vestros non commemorem, cum Ferdinando rege nondum sopita contentione sustinueritis, quippe quum et me vel ab ipsis incunabilis semper ea familia acerbissime est persecuta, et conata Hungarorum dominationem quoquo modo usurpare. Solymano caesari parata jam ab se munera tempori mitterent, ut morientis etiam meam erga se fidem agnosceret, vosque vestram, qui supereritis, apud eum probetis. Nec ludetis, domini, operam. Hoc enim vobis proderit, hoc misera stabit Hungaria, hoc collisi ordines revalebunt,

hoc uxorem meam servabitis, et liberos meos promovebitis; neque aliunde mea quidem sententia, vobis vestri tum regni tum vestrum omnium incolumitas speranda est, quam a solo Solymano. Quod equidem (sic se excusans, quasi dixisset impie) non suaderem, si inter christianos principes christianum amorem nodumque verae concordiae cognovissem, et in quibusdam plus pietatis aequitatisque, quam ambitionis cupiditatisque, quorundam etiam incuriae atque contemptus rerum nostrarum reperissem, quando vos, qui tranquillitati, aequoque semper studuistis, periclitabamini, ego exilio premebar, et cum domesticis meis, magno insidiarum ac proditionum astu, grave haberem negotium, Turcumque incredibili arte, admirandis officiis et subjectione plus quam privati hominis continebam, ne ad subjugandum totum, quod regni erat reliquum, raperetur. Sed haec vos melius, quod mihi semper a consilio exstitistis. Itaque ad eum, meo judicio, recurretis, illi vos tutandos exponetis, postquam sic ferunt tempora, sic volunt Superi. Tu Georgi Utisseni, quem ego ab exiguo statu mihi ipsi velut pro arbitratu meo hominem formans, ad summum rerum fastigium promovi, et multis viris praeclaris atque illustribus genere praetermissis, qui et ingenio et potentia pollerent, in locum pene germani fratris, quem unicum habebam, mihi adjunxeram, uxori meae ac filio charissimo peculiariter tutor et procurator esto. Vos caeteri domini fratres mei, (sic enim ex usu omnes, quibuscum loquebatur, blande in omni vita compellabat, summa studens homines humanitate demereri; hungarice effertur: urak domini, athyamfiay patris mei filii, hoc est fratres,) quos pariter et amavi et supra multos evexi, si quid exstincto mihi gratitudinis, si quid soliti

officii ex fide, quam semper erga me constantissime probavistis, adhuc exhibere non pigebit, parentis munus tam in filium, quam in uxorem meam suscipite, ipsique Georgio vestra concordia, vestris studiis, vestris consiliis opeque, oro, adeste semper et auxilio sitis, quo melius provincia sua fungi possit. Odiis vero intestinis, pro vestra prudentia, pro modestia, proque animi candore omni conatu occurrite, ne si fortasse illa neglexeritis aut etiam fovebitis, praesertim rectore spoliati, celerius et invicem collidamini, et filioli mei successionem perturbetis, uxorem in tristiorem luctum atque in ultimas difficultates conjiciatis. Postea vix verbum per totos eos VIIII. dies, quibus, uti jam diximus, cum morte luctatus est, edidit, nisi quod miserabili quadam specie defixo saepius aspectu in consiliarios, acclinatoque etiam, quantum poterat, ad eos capite, diu respiciebat, tamquam si loqui vellet, deinde, quum nequiret, demissis sensim palpebris, doloris utique significationem in vultu relinquebat, quo eorum animi magis dolore feriebantur, indeque non sine lacrymis, ejulatum gemitibus comprimentes, abscedebant, donec iterum velut a somno experrectum cubicularii nunciabant oculos aperuisse; sicque per haec momenta subinde ad eum regressi, invitantes ad dicendum si quid restaret, quod eos vellet, exanimatus est. Decessum ejus iidem consiliarii per dies*) de industria suppresserunt, quotidie ter et quater cum medico de more ad illum ventitantes, donec mutuis sese foederibus devincirent, Mailadumque ac Balassam vaivodas in sententiam suam adducerent. Quae res inprimis per Valentinum Turcum, dehinc per Nico-

*) ‚Circiter XV.‘, — Verancsics által kitörölve.

laum Telegdinum diu et frustra tractata, cognitaque tandem ipsorum pertinacia, nihil cunctati, quum perturbata ratio status regni ad reparationem aliquam maturare hortabatur, mox una omnes, data primum atque accepta inter sese securitatis societate, fidem ac studia magnis juramentis reginae ac Joannis filio obstrinxere. Valentinus ipse, quod vix credebatur, cujus fides inter Joannem et Ferdinandum semper fluctuaverat, caput etiam ad hoc devovit, totusque in eo est ferventissimo spiritu, ut Ferdinandus in regnum nullo pacto admittatur. Hinc ad res gerendas, quas lugubre tempus attulerat, animum curamque adjecere. Et initio statutum, ut perfidia vaivodarum vi etiam expugnetur, si sponte illorum partibus non accesserint. Secundo loco Stephanum Verbucium cancellarium cum Joanne Ezechio Quinqueecclesiarum episcopo ad imperatorem Turcarum cum muneribus et pensione diu jam promissa et pactis sancita, neque adhuc vel semel persoluta, miserunt, Georgio Utissenio, regni quaestore, cui per regem ea legatio erat delegata, retento, quo ille potissimum, cui rex tum uxorem tum liberos caeteraque omnia sua crediderat, domi esset et militum ac regni curam gereret, qua alioqui diu jam fungebatur, opesque et pecunias regias, quas in manu habebat, conservet. Summa autem legationis haec fuit. Ut mora de legatorum expeditione imprimis commissa ob periculosam conjurationem vaivodarnm, quae armis erat sopienda, deinde ob gravem atque diuturnam valetudinem regis, cujus causa omnes reliquae actiones cessaverant, excusetur. Postea sciret caesar, Joannem regem humanis rebus exemptum, quique dum adhuc viveret, ac sensu et ratione uteretur, haec ad

ipsum mandata dari praecepisset. Se scilicet memoria semper tenuisse, quod Hungariae regnum sua ipse virtute ac ferro a Romanorum rege accepisset, sibique Dei beneficio dono contulisset, nuncque pro hac in se tum munificentia tum amore singulari agere gratias immortales, quas alioqui semper alias egerat, quotiescunque tanti benefactoris mentem subibat recordatio. Caeterum quum Deo Optimo Maximo ita complacuisset, ut id temporis moreretur, illud ipsum regnum ea fide, qua moderandum acceperat, filio obtinendum possidendumque reliquisse, atque obnixe orasse caesarem, vellet hujusmodi successioni annuere, et ipsius filii ejus, paulo ante suscepti nec adhuc visi, uxorisque infelicissimae et Hungarorum orbitatis tutelam pro sua magnitudine et bonitate assumere. Se demum nunquam, ne tum quidem, quum decederet, dubitasse, caesaream illius majestatem ea clementia ac liberalitate, qua in patrem cum universi orbis terrarum admiratione usus est, in filium quoque usurum, solaturumque pietatis muneribus uxoris calamitates. Alia quaedam ad communem populi usum pertinentia, ab ipsis consiliariis adjuncta, praetermitto. Haec duntaxat inserui, quae Joannes filio consulturus, nuncianda curaverat. Valentino postea et Andreae Bathoreo data provincia obsidendae arcis Fogarasii, cum toto exercitu mercenario, nobilitatisque ordinibus, quos rex ex Hungaria adduxerat. Idque vel ea sola ratione, ut utrumque vaivodarum in ea, in qua esse ferebantur, intercluderent saltem, si obtinere non possent, ne cum conjuratis versarentur. Et quum illa arx, ut scis, et natura ipsa et Mailadi industria validis operibus instructa est, et cuivis etiam principis potentiae expugnatu difficilis: injunctum tria circum eam castella

erigi et praesidiis compleri, ne tanquam pestes egredi possint, quoque aut fame aut diuturnae obsidionis affecti molestia, ad deditionem compellantur. Neque has copias e Transsylvania interim sunt dimissuri, aut mutaturi consilium, donec in obsessos omnem vim, fortunam atque ingenium experiantur, esto quod et Turcorum auxilia erunt advocanda; nam adhuc iis tuto terremus adversarios, nihil tamen his terriculis permoventur, quippe qui indies magis ac magis Saxonum civitates et reliquas duas nationes in studia regis Romanorum, tum nunciis tum litteris sollicitare non cessant. Sed nondum quicquam videntur proficere, quum omnia sileant ob externarum copiarum praesentiam. Sicque ad fucum, ut putamus, conversi, ne nihil interim velle videantur, quod honeste dici non posset, honorem nempe in procriptione ademptum et bona omnia sine dilatione et sibi et caeteris conjurationis authoribus reddi postulant, quandoquidem conjuratorum adhuc res non sunt in fiscum relatae, neque causae actio requisita. Se vero vicissim omnium injuriarum, quas a quibuscunque perceperunt, nunquam recordaturos, immo daturos etiam ultro veniam omnibus, quos aut accusatores aut suspectos hujusmodi inimicitiarum habuerint, demumque in ipsorum sententiam ac societatem foederis ituros offerunt et pollicentur. Responsum est: Omnia, quae postularunt, fore illis integra, si prius et statim, ut ipsi quoque fecerunt, reginae ac Joannis filio fidem juramento addixerint, deinde ad eam profecti, supplices admissi veniam fuerint deprecati, data insuper utrique quum salutis securitate, tum obtinendorum bonorum arciumque firma spe atque fiducia. De honore reddendo, quem adeo temerarunt, ut obluendo ne Marisus qui-

dem insignis Transsylvaniae fluvius sufficeret, admodum languide transigitur. Tamen hoc quoque rejectum in reginae gratiam. Illi ad reginam proficisci, veniam petituri paratos sese receperunt, verum jurejurando fidem cuipiam obstringere, nequaquam velle, nisi cum toto regno, eodemque inclinaturos quo omnes Transsylvani. Praeterea indicerentur publica comitia, liceret omnibus ordinibus tuto cenvenire, et quod quemque deceret ac toti Hungariae conduceret, decerneretur. Nemo suis rebus studeret, publicis consuleretur, fortiores melioresque et qui prudentes essent, caeteris anteponerentur, donec meliorem viam instaurando regno fata demonstrarent. Se nec a consensu procerum discessuros, nec novi quippiam molituros, quod communi saluti obesset, aut non ab omnibus probaretur. Haec omnia a Mailàdo, veteris odii memore, ad Eperiensem civitatem in castris, quum amor et imperium non ferat socium, contracti, potissimum in invidiam Utissenii jactabantur, quem videbat primatum inter magnates habiturum, publicaque potiturum potestate, quum regis testamento, tum potentia et authoritate summa, quam dudum sibi fortunae cujusdam beneficio, non tam quaesitae quam a Deo quodam injectae, (vidimus enim valde aliquando tenuem et refugientem aulam) supra omnium vires comparaverat. Porro omnes ejus felicitate, tametsi officiosissime universos demereri studebat, offendebantur, fuereque haud pauci, qui ejus fortunae infensi, et Joannem deseruerant et aversabantur filium, facileque et Mailadus et Balassa, nisi forte hoc praetextu sceleris opinionem minuebant, ad officium reduci poterant, si Utissenius cum republica nihil commercii habuisset. Verum praeviderat Utissenius,

quo Megaerae istae colubros intendebant, quique patri insidias struxerant, facile omnes mortales cognoverant, eos ne filio quoque patrocinaturos a quo opprimendo solius Utissenii magnitudine arcebantur. Itaque consiliarii non fidentes vaivodis injuratis, quod in se facilius injurios fore*) dubitent, qui ne regi quidem suo tam nefario seclere appetito pepercerant, neque conventum adhuc indicunt, neque eos libere sinunt agere, et tum omnia experiuntur, ut ad jurandum inducant, antequam de comitiis statuatur; et quum nullos conatuum eventus, quibus tantopere insudant, verbis assequuntur, vim et arma jam tandem aggredi meditantur. Nec sane dubitant, quin brevi illis potientur vel duabus de causis. Oblata scilicet imprimis Saxonum insperata nunc primum declaratione studiorum, qui quum certo certius vaivodarum intemperiis consilia sua adjunxisse noscerentur, tametsi Turcarum metu multum caute et cum lance omnia, intendentes sagaciter, quorsum tum ipsorum vaivodarum audacia, tum pueri res esset evasura: nudius quartus delectis duobus viris ex singulis sedibus, miserunt ad consiliarios, qui totius gentis errorem, ut dicebant, potius quam delictum, excusantes, quod in tanto rerum turbine, non in utramque partem modo, inter quas agitabatur controversia, sed in mille nutare fuissent coacti, donec certo consilio cognovissent in quam tuto et sine honoris detrimento declinare debuissent, quique sequendi non erant, superiores nonnihil esse videbantur, dum maximam et meliorem partem regni conjuratione sua complectebantur: reginae ac filio per manus ipsorum consiliariorum in urbe Saxosabesiana frequenti procerum conventu fidem obli-

*) Kimaradt: ,non'.

garunt, nil aliud postulantes, quam ut a Turcis et a primatum rapinis defenderentur. Alia causa est, quod omnes fere arces, illaeque potiores Transsylvaniae cum Saxosabeso ipsi habeant in potestate, hisque omnibus praesint Croatae, veterani regis milites cum opportunis praesidiis, ne quid provinciales novis studiis obturbent, ad quod natura ipsa facile proni sunt, dato authore, etiam vili de causa. Arcium haec nomina: Deva, Dyodum, Chiculium, Gurginium, Vecium, Czyczoum, Balvanum, Laeta, Almasium et Hunyadium, tuae postremo Alba Giula, Gela et Petra Michaelis, quae quidem ut salubrius et prudentius possunt, pro instabilitate temporum artificio quodam sese in ambas partes gerunt, et utrisque conantur probari, (cum regno interim sentientes exemplo illorum, qui malis adhaerere nolunt,) ne furorem conjuratorum experiantur, donec voluntatem et jussa domini acceperint. Sed ne etiam hoc ignores. Francisci Kendii utraque arx Vecium ac Zentivanium cum colonis, salis fodinis Colosiensibus et bona parte supellectilis occupata. Ipse Varadini non sine custodia exulare jussus, quamdiu summa conjuratorum capita opprimantur. Gerendium castellum a Martino, qui Mailado perpetuo assidet, receptum, et Gaspari Perussio, Franciscoque cognomento Croatae per ipsum regem, paulo prius quam decederat, collatum, ut vel ex hoc consideretur, quid de aliorum, qui in se conspiraverant, facultatibus sit futurum. Vincium et Borberechum vicina tibi oppida, quae Mailadi erant, Radulo Transalpinensi vaivodae restituta, cujus vetusto jure fuisse perhibentur, ut ipsum a Mailadi amicitia dimoveret, in qua plurimum ille sceleri suo reponere adjumenti ferebatur. Quod ad alia attinet: maximam omnium invidiam conflavit rex Georgio Utissenio, quod ei tutelam filii

commiserit, jamque videntur quidam reluctari ejus administrationis auspiciis, ipsique ad gubernationis gradum aspirare, nec id tamen plane, quod ejus potentiam timeant irritare. Verum ille non dejecto animo regiam munificentiam metitus, egregie utitur fortuna sua, inque tum matris tum filii negotio et est, et videri vult summus. Neque id inprospere. Omnium enim in illum conjecti oculi, omnium in ipso rerum consiliorumque sita deliberatio. Sed expeditis multis, regium corpus tumulandum restabat, eratque in Hungariam efferendum, ut de more patrio Albae Regali cum caeteris regibus conderetur, sed vaivodarum oppugnatio prohibebat. Itaque Albae Giulae reponendum decreverant, donec repressis Transsylvanis dissidiis, sedatiore animo egredi, et securi a novis tumultibus funeri peragendo vacare potuissent, datoque de his ad nos mandato adjecerant, thesauros quoque regios una cum cadavere affuturos, quibus custodiendis ne nos omni sollicitudine atque impendio gravaremur, curaturos sese diligenter significarunt. Nos, etsi de suscipiendo corpore principis optimi nulla renitentia usi fuissemus, utpote subditi, et alioqui etiam cupidi, ut haec nostra basilica tanti regis sepultura redderetur insignior, audita tamen thesaurorum mentione, quid dicam? timuimus nescio quid, quum alia loca munitiora et servandis thesauris aptiora, quorum jam memini, eis non deerant. Itaque causati primum, Albam munitiones nullas habere, locum deinde laxum et muris infirmum esse, nec nobis sumptus viresque ad tutandum tantos thesauros satis suppetere, et cujuspiam militem, absente nostro praesule, admittere nequaquam audere, vereri insuper, ne si quae regis filii partium praeter opinionem contingeret inclinatio,

aut ab adversariis domesticis, qui in nos solos et in reditus nostros rugiunt, aut ab externo quopiam principe, quemadmodum jam de Ferdinando rege multi somniant, et nos et thesauri juxta periclitemur: quanto modestius potuimus, removendos ab hac sententia nixi sumus, thesauros omnino, non corpus, suscipere recusantes. Visum hoc initio sane quam difficile, lateque in curia contra nos summa indignatione declamatum, neque a minis, neque ab injuriis satis amarulentis temperatum, parumque abfuit, quin in nos severissime animadverteretur. Nec deerit aliqua mulcta numaria, qua hic apud nos omne crimen expiatur, omnis poena redimitur. Verum quorundam amicorum tuorum suasu, verso in aliam partem, ut fit, consilio, quod absentia tua difficillimo tempore plurimum reipublicae inserviret, evasimus et nos, et ab Alba tua declinatum, Devamque tum corpus tum thesauros deportavere. Ibique expenso mense uno, dum Balthasarem Bornemyzam praeficiunt Transsylvaniae, illique sedem Saxosabesi addicunt, designatis ad hoc aliis quoque hic illic pro locorum opportunitate praesidiis, quibus vaivodarum interim temeritas cohiberetur saltem, donec ea in re alia ratio iniretur, quoniam eorum factio parvo tempore atque negotio sopiri non poterat, et ad sepeliendum regem magno Austriae apparatu urgebantur, quem jam tum in procinctu esse, fierique Petri Perennii et Francisci Fregepani archiepiscopi Collocensis instigatione afferebatur, Budam discessere. Hic, si quaeris, quo affectu a populis, per quos deferebatur Joannes, occurebatur? certe omnes cum ingenti fletu ac moerore, infelicissimi saeculi sui conditionem queribunda oratione praeficarum more lamentantes, testantesque imperii gentis suae ultima ad-

esse tempora, et in posterum etiam triste nescio quid ominantes, quod jam Hungaria nunquam reges christianos esset habitura. Verum avertat Deus sinistrum omen. Ubique tamen imago veri luctus dolorisque apparebat, tamquam alium Mathiam amisissent, resque erat oppido miserabilis, prostratum videre, quo stabat Hungaria, intueri exstinctum et occupatum tenebris, quo ea gens lumen quoddam et pristinum decorem existimationemque recuperatura videbatur. Referatur et illud, quod indigne accidit illi in itinere, ne etiam mortuo defuisset alicunde hostilitas. Sparsum erat in vulgus, quod una cum corpore thesauri quoque exportarentur. Quare magna latronum colluvies, partim ex Valachis, partim ex Rascianis in Alpium Aurariarum recessibus Offon, Cheressii et Abrugii, spe perinde conflata, trajectoque Mariso, in Morsenam silvam perexerant, quae quam vasta atque horrida sit, quamque immani hominum genere incolitur, tute diu nosti, quippe quam nullus viator sine pallore transmittit. Ubi ingenti arborum materia, pro viarum angustiis (quod saepe apud nos fit contra hostes) impedito transitu, opportunis in latebris sese abdunt, ut in praetereuntes facerent impetum. Erant ii, uti accepimus, prope quadringenti pedites, raro gladio, omnes tamen sagittis instructi. Illi equites mille excedebant, bene armati. Itaque non ausi primum agmen, neque secundum, intra quod corpus vehebatur, attingere, in postremos, qui lento gradu et incomposite cum impedimentis sequebantur, prosiliunt. Exoritur clamor, coeunt omnes, ac certamen non omnino incruentum committitur. Verum dum et latrones magis praedae quam pugnae intendunt, quod superiores iis se esse viderant, et consiliarii non longe progressi, quandoquidem ex-

plicandae viae, jubentes arborum moles ammoliri, curam impendunt, audivere stridorem, cognitoque quod impedimenta vim paterentur, subito magna pars eo recurrunt, impedimenta quae jam convolvebantur, eripiunt, latrones plurimos confodiunt, reliqui fuga sese huc illuc per invia in silvam proripiunt, neque insequendi fuit consilium alias insidias ulterius metuentibus. At jam ut finiam epistolam, tibique et consiliariorum animus et consilium nostrum constet. Erant quidem ipsi ea mente, ut hoc praetextu corporis ac thesauri regii custodiendi, quemadmodum ab amicis tuis monebamur, Albam intra manus suas acciperent, dubitantes, ne sicut aliqui in hoc nostro collegio canonicali alias semper amici Mailado et Balassae fuerant, tu vero nimis longe aberas, ita omnes ad eorum partes, relicto Joannis filio, transissemus. Cujus tempestatis magnitudinem vel ex hoc licebit tibi conjicere, quod de nostra quoque fide jam in dubium venerant, qui toto ferme regno sequente ipsorum vaivodarum insaniam, illisque pecuniam conferente ad vires augendas, semper et accusatores eorum apud regem ipsosque consiliarios fuimus, et nunquam nec in comitiis favimus, nec numum contulimus, nec verbum dedimus, quo nos in suis vel per horam reputare potuerint. Itaque collato consilio cum Petro Moro, tuo hujus loci praefecto, placuit in omnem eventum, ne, hoc mutato in deterius tempore, reque publica sic mille furiis exagitata, domum ac fortunas tuas cum nostris una regendas alicui incautius traderemus, summoventes omnes ejusmodi voluntate affectos dexteritate et modestia. Alioqui relicta hic apud nos sola opinione thesaurorum, quorum jam dudum consiliarii, altis quibusdam venis reconditis, curam habuerant, magno discrimi-

ni, quamvis nullum externum militem admisissemus, et nos et episcopatum tuum objecissemus, quandoquidem nunquam a vaivodarum licentia quievissemus. Verum isthaec omnia Dei benignitate commode et cum dignitate tua transacta sunt. In Hungaria adhuc nulli sunt motus, congregari tantummodo optimates feruntur, quique domi suae, ut morem habent in obitu principum, ne quid molestiae a quopiam vel hoste vel etiam vicino acciperent, donec novus crearetur. Mailadus et Balassa, audito consiliariorum discessu, litteras dederunt ad Petrum Morum, quibus eum hortantur, ut arcibus tuis diligenter invigilet, ne et tuo et regni damno quis in eas irreperet. Caeterum acerrime caverunt, ne a regno dissentiat, abeatque post Georgii Utissenii, collegarumque ipsius naenias. Hungaros jam pridem coronatum regem habere Ferdinandum, cui etiam te in compositione Varadiensis pacis nomen dedisse, ac fidem cum caeteris, qui in eo comitio fuerunt, interveniente Joannis morte, scribebant, juramento obligasse. Vellet igitur horum meminisse et arcibus custodiendis magna solertia prospicere, ne et hic, quod habes, amittas, et istic, ubi pro regno laboras, cogaris fortasse frustra novas spes auspicari. Omnino captabant dolis hominem ob idque ab honesto machinam ordiebantur. Sed Petrus, utpote Valacchus, vafricie non inferior, et alioqui totus consutus dolis, cognovit palpones, et litteras in sacrario toti collegio nostro legendas exhibuit, deque communi consilio ad consiliarios transmittendas duximus, nullo interim vaivodis facto responso, ut ab omni prorsus suspicione tuti permaneremus. De valetudine nostra quid opus? Salutis quidem igens copia, quietis pacisque nulla. Tuis proventibus avari et unitatis turbatores pluri-

mum inhiant, immo Thasnadienses jam haud mediocriter carpunt, nec nos satis animi, nec audaciae, consilii etiam satis parum habemus propter absentiam tuam. Dies igitur et noctes festina prius quam concutiatur regnum. Nam alioqui omnia jam videntur ab imo sensim commoveri, ut mare, quum proximam minatur Aquilo aut Africus tempestatem. *)Tempus erat hic desinere sed propter novam faciem praesentium rerum nostrarum, minime laetam, adhuc addam, quod nunc maxime necessarium duco. Legationem cum qua profectus es in Gallias, omnino irritam fore ob regis mortem, tibi persuadeas. Novis etenim temporum rationibus nova consilia novaeque hominum voluntates in republica solent accommodari. Mihi crede, multi, quicquid istinc retuleris, secus te sunt audituri, quam audivissent, si is infelix supervixisset. Audient tamen, sed utcunque dimidiatis auribus. Perspecta scribo. Nam pendebunt animis, donec videant, quid sub hac occasione, quam Joannis mors obtulit, poterit tum vis tum fortuna Ferdinandi. Neque alia causa, nisi si Turci metu, filium Joannis complectentur, utpote cujus virtus ne in segete quidem adhuc est. Ferdinandum procul dubio major pars meditantur. Cui rei ni mature occurratur, ultra quod Turco dabitur ansa celerius gentem hanc evertendi, facile innocentissimus infans excludetur, qui etsi amorem hostium parentis causa non meretur, Christi tamen contemplatione, et orbitatis gratia pietate saltem sustentari deberet. Quamquam itaque monere te, qui et providentia et ingenio sine cujuspiam suggestione plurimum praestas,

---

*) Verancsics kezével a lapszélen: ‚Haec alia est epistola alioque loco collocanda.'

supervacaneum sit, tamen quum semper visus sum tibi magis placuisse, quum me de honore commodoque principum meorum animadvertisti esse sollicitum, ad quod etiam tuo exemplo pene quotidiano ab ipsis unguiculis hortari atque animare solitus es: non praetermittam filium jam pro patre tibi commendare, rogareque ad ipsius curam capessendam. Cujus mater summum et peculiare auxilium, quo in hac viduitate sua filiique charissimi orbitate indiget, in te uno habet repositum, praesertim donec apud istum et pium et magnanimum, bonitateque ac munificentia celebratissimum regem perdurabis, cujus ope sicut maritus ejus magna ex parte ab exilio ad regnum rediit, et in amicitia Turci diutius permansit, ita nunc orbitatis filii singulare patrocinium in illius majestate collocavit. Et ne te pluribus morer. En sublato optimo principe, vides quam late regni statum magna labes occupavit. Fluctuant siquidem proceres, tyranni insurgunt, tumultuantur plebei, et pueri scitissimi raraeque indolis fortuna periclitatur. Quid jam et Ferdinandus ad hanc novam occasionem moliatur habes, quid et Turcus interim cogitet, facile scio consideras, et meo quidem certe, immo omnium, qui res nostras propius noverunt, judicio, nisi huic puero Galliarum rex affuerit, non video quomodo poterit per has pestes subsistere, cujus et vitam haurire, nedum principatum intercipere adnituntur. Igitur cura, mi avuncule, quam maturrime et incumbe quam acerrime, ut istius amplissimi regis patrocinium apud Turcam tua opera consequatur in obtinendo paterno regno. Erit hoc quum ipsi regi Francisco summe gloriosum et nobis utile, tum tibi apud hanc gentem celeberrimus ad primarios honores et immortalitatem gradus. Ne-

que frustra laborabis. Sunt hic primi ordinis non pauci viri, inter populum quam plurimi, qui hoc abs te non optant modo, sed etiam magnis votis efflagitant, quorum nomina non exprimo, causa est, supprimi volunt, nosces tamen suo tempore, et nosti partem. Et, ne quid quod huc facit, videar omisisse. Si forte pueri hujus, quem Deus sospitet, aut fortunam labi contingeret, aut necessitatis magnitudo virum principem postularet, hunc sibi, quicunque ille esset, modo regio non sanguine solum, sed etiam animo commendaretur, malunt istinc accersere, quam iis perditis et facinorosis portentis domesticis subesse, Germanum, Hispanumque dudum jam adulta nausea respuentes. Caeterum rege sibi opus esse, reginam non deesse dicunt. Quam ego tibi, ut quam parcissime atque obiter laudem, omisso aetatis, formae, facundiae, ingenii, prudentiae comitatisque praeconio, cujus pene vivam imaginem in vultu, in ore, in toto demum homine decentisime prae se fert, omnium virtutum et gratiarum domicilium appellabo, adeo de se admirandae cujusdam probitatis, et modestiae specimen nunquam non praebet, et omnes homines benevolentia, studio, humanitate demeretur. Ejus te curam penes filium suscipere, quum propter mariti beneficia et tuum decorum, ne integritati solitae desis, tum ob regni salutem, et quod digna sit, quae multarum principum foeminarum nostrae memoriae aetatisque celebritati praeferatur, inprimis convenit, avuncule, qui quidem virtute praeditis semper suffragaris, eosque promovere studes, quos cum laude vitam agere cognoscis. Huic certe reginae, ne alias multas et eximias ejus animi dotes commemorem, quum epistola poscit jam catastrophen, tanta est in his

angustiis suis tolerantia, tanta fortitudo, ut si singula recensere vacaret, virum, non foeminam, divinum quiddam, non humanum esse diceres. Et quia nostra gens, quae summis etiam regibus sine vigore, clavaque (sic enim dicere consuevit) parere nesciit, huic, velut ad avos suos Scythas relegata ferocia, caput summisit. Unde cuique licet facile conjicere, qualis et quanta mulier haec futura erat princeps, si felicius ei conjugium contigisset, posteaquam in hoc solitudinis, extremoque miseriarum statu tam praeclare gerit majestatem. Sed de his fortasse fusius, non tamen sine judicio. Si enim festinans in Gallias, vix eam a nuptiis ter conspexeris, idque tum, cum adhuc intra nuptarum respectus contineretur, quantum abest, ut absens penitus cognoscere potueris, quum postea in matronali cursu jam constituta, fungereturque terna dominationis authoritate: mariti, filii, sua, ipsa libertate virtutes suas, quas tunc simulare nonnihil forte poterat, veras, non fictas, perpetuas, non temporarias, nec simulationi sed ingenuitati ascribendas esse declaravit. Verum haec sic se habere cognosce, ac matura rem hujus pueri matrisque prius bene constituere, quam Austria in quorundam pectora novos hamos, nova philtra conjiciat, quum non ignores, quod homines simus. Vale. VII. kal. Sextil. MDXL. Albae Giulae.*)

---

*) Verancsics ezén irat elébe, mely a Katona által kiadottnak bővebb s keletnapjánál tovább terjedő kidolgozása, czímül ezt irta: ‚Joannis regis Hungariae decessus.' Faustus utána veti: „Epistolae datae ad Joannem Statilium, qui tunc oratorem agebat in Gallia. 1540."

LVIII.

Porembius Péternek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro Porembio S.

Obitum domini regis nostri Joannis, non existimo multis verbis memorandum, ne identidem novis, hisque mutuis doloribus conficiamur. Mors certe ipsius et nobis et huic regno afflictissimo multorum malorum seriem renovavit, utinam extremam perniciem non attulerit, ad quam nonnulli jam rerum novarum cupidi, plus nimio videntur esse proclives. Saltem Deus illum, vel gratia reginae consortis suae voluisset adhuc superstitem, si nos propter scelera non meruimus. Ejus viduitati tam repentinae aeque, et aliquid magis dolendum est, quae pro sua bonitate, prudentia, et in omnes ordines mira mansuetudine diutius laetari ac maritali societate frui digna fuerat. Sed postquam fatis ita visum est, virtus ac levamen summum erit, aequo animo ferre divinam voluntatem, et in nobis naturae humanae agnoscere conditionem. Cujus quidem dolori a ratione imperanda est consolatio, quam utique ipsa etiam dies est allatura, succedente novi atque optati haeredis laetitia. De me quod*) scribendum fuit, hoc est: ut te rogem summopere, velis negotium meum istic, quod non admodum grave est, suscipere, posteaquam ipse absum. Magna et singulari fiducia id exigo, tamquam

1540. júl 28.

*) Az eredeti kéziratban itt ismét két levél kiszakítva; az epistolának vége Katonából.

ab homine omnium amicissimo. Amisisse nos dominum ac regem nostrum optimum, quo uno omnes stabamus, servabamur, florebamus, cernis; et cui, mi Petre, tam nos quam omne hoc regnum inservire, in quem studia conferre, cui fidem addicere, cui dare nomina magis debeamus, quam ejus filio, profecto nullum video; isque animus meus est, ut eum pro Joanne regem accipiam, colam, observem. Nactus itaque opportunitatem, ita ut molestus non sis, quaeso accedas ad reginam, et ipsi, redditis his meis litteris, fidem quoque ac servitutem meam subjicias; meque, ubicunque gentium fuero, nutui ac voluntati ejus semper paratum esse, et ipsius imperata avide exspectare ac praesto illic fore, ubi jusserit, dices et recte valeas. Albae Juliae Transsylvanae V. kal. Augusti MDXL.

LIX.

Nagybátyjának, Statilius Jánosnak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo S.

Accepimus hodie consiliariorum litteras, quibus 1540. aug. 15. nomine Petri Petrovith, Valentini Turci et Georgii Heremitae ad conventum publicum Thordae pridie id. Septembris celebrandum proficisci jubemur. Mailadus et Balassa jam ab omnibus contemptui habentur, utpote homines non tanti, quorum conatus magni fieri debeant, idque ex eo, quod nihil penitus hoenstissimarum conditionum, quibus in partes reginae ac Joannis regis filii revocabantur, acceptare voluerunt. Petrus Petrovithus, Gaspar Dragfius, Joannes a Kalo et Balthasar Bornemyza designati sunt qui et hujus provinciae gubernatione fungantur et his comitiis habendis praesint, deque his furiis ex stinguendis serio tandem consulerent. Georgius Utissenius cum reliquis collegis, cum pullata et luctuosa tota curia et magno hominum numero profectus est in Hungariam, corpus regium tumulaturus, Budamque firmaturus munitione ac praesidiis, quod jam moveri Ferdinandicam factionem nunciatur. Ii soli rem Pueri aetqu Hungariae videntur fortiter et fideliter tutaturi. Valentinus, ut nobis refertur, Petrum Gherendium et Nicolaum Kornisium, qui pertinacius Mailado et Balassae studebant, cepe-

rat; Paulus Banchus arcis Balvanos praefectus, facto in oppidum Busa impetu, multos oppidanos variis et horribilibus mortibus affecit, quod ii Stephanum Croatam, veteranum regis et non infimae conditionis militem, ejusdem loci administratorem ex condicto cum quatuor familiaribus haud pridem necaverunt. Michael a Zombor, qui ignaviter arcem Almas defenderat, Zombor domum suam, fretus amicitia Balassae, sub quo merebat, fossa caeterisque operibus munire agressus est, et ascitis sibi aliquot suae fecis hominibus, in omnes, qui illac transeunt, crudeliter grassari perhibetur, vicinorum et nobilium nemini non est injurius. Jussum igitur est iis, qui arci Almas praesunt, ut Zombor ita invadant, ut illic nunquam posthac Somborianis luceat focus, nec gallus cantet, eumque ipsum Michaelem et suos, quibuscum id facinoris exercet, digna caede exstinguant. Reliqui praeterea Transsylvanorum, qui non permoventur modestia et alieni mali exemplo, simili pavore ab insolentia deterrentur, ut a perniciosis studiis desinant. Obitum regis totam Hungariam lugere scribitur ad nos, solus Petrus Perennius, si obtrectatorum non est commentum, provolutis aliquot in publicum doliis, vini plenis, advocata magna suorum celebritate, pulsatis omnium ecclesiarum campanis, et passim ignibus per compita Patakii oppiduli excitatis genialem ac festum diem egit. Nos omnes tristes simul ac pavidi, et de te aliquid audire, quod placeret, vehementer cupidi. Quicquid posthac consequetur, diligenter perscribendum curabo. Ad me quod attinet, quamquam mei te non esse immemorem confidam, tamen ut supplices et aliena ope indigi faciunt, oculis tuis ac memoriae frequenter me objiciam, quum sine

gratia tua, etiam si quis thronus me haberet, vitam meam ut umbram existimo. Quare si uspiam pro rebus istic tuis statuendis firmandisque curam te gerere contigerit, oro, ne me abs te segregandum ducas, et alioqui velis eo loco esse apud te, quo tuae erga me benignitati, e decore tamen tuo, libuerit. — Oratores in Turciam designati Lippae substiterunt, donec a caesare Solimano litteras publicae fidei accipiant et pulla veste famulitium vestiant, quo lugubres et atrati legatione defungantur. Vale. XVIII. kal. Septembris MDXL. Albae.

LX.

Marilianusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Mariliano suo S.

1540. aug. 16.

Apud Annam sarcinatricem, velim agas diligenter, ut mihi tandem reliquas mittat interulas, si confecerit. Utinam gallica scabies eam conficiat. Cum Mailado et Balassa nihil boni compositum; obsidio a Fogaras soluta; comitia die Jovis proximo Thordae celebrabuntur; intererunt ii duo, nec ne, incertum. Comitiis peractis, mox Georgius Heremita corpus regium conditorio traditurus, exibit in Hungariam. Hic, ut dicitur, Petrus Pretrovith in persona regia cum praesidio mille equitum et mille peditum remanebit. Reliqua quorsum evadent, nulla est felix conjectura. Aliud quod novi scribam, non habeo, nisi quod passim omnes viae inceperunt spoliis ac sanguine scatere. Nec mi-

rum: nam etiam latrones latrociniorum suorum vices exspectant. Sed, o te beatum, Mathia, qui eo es loci, quo tutus agis, protectus tam munita urbe, tanta urbanorum frequentia atque studio. Nos Albae magnus pavor et ingens trepidatio habet. Nec ullius securitatis spes est, nisi in deditione, si quae procella ingruet et mature non subvenietur. Valetudinem tuam cura, et serva te meliori tempori. Forsan vivemus adhuc una, neque his malis opprimemur. Vale. XVII. kal. Septembris MDXL.

LXI.

A szebenieknek Verancsics Antal.

Ad Cibinienses.

1540. aug. 21. Castellum Bolkaach, quod mihi vobiscum commune est, quanto nunc discrimini sit obnoxium ex licentia et temeritate perditorum hominum, quos haec insperata temporis mutatio ob regis Joannis mortem suscitavit, nemo est, qui non cernat. Accepi heri, Stephanum, cognomento Custodem, custodis sacerdotis filium nothum, Joannem Veres et Franciscum Sulyok, milites Emerici Balassae, adjecta sibi centum circiter similiter audaculorum manu, clam ex proxima silva multis insidiari, et interdum in villam ipsam invadere, et colonorum nostrorum bona diripere. Id in alium finem non facere existimo, quam ut occasionem sibi firmare possint, per quam castello potiantur, et latro-

cinii propositi munitum receptaculum*) habeant. Hoc si accideret, quod Deus avertat, quamquam omnia supra vires et conditionem suam videntur agere, quippe qui haud sunt tanti, ut vel culicem impellant, considerata tamen impunitate praesentis temporis, quo non solum magnates dignitatum invidiaeque gratia exercent certamina, verum etiam nefarii quique ac perditae et pauperrimae conditionis homines, pro hujus gentis ingenio, quum careant principe, in scelera adiguntur: quanta vicinos calamitate ac servitute, quibus et me et vos injuriis, detrimentisque afficient, cogitetis? Igitur summa celeritate nobis agendum est, ut quod ii in nos moliuntur, non eveniat, et opinione frustrentur. Quamprimum imponamus in castellum communes, quot necessarii fuerint, homines, fide nostrum utrisque per juramenta astrictos, quique tum animo tum consilio dando, praesint dumtaxat colonis, non dominentur, et alioqui unanimiter tueantur et conservent nobis Bolkaach, in quo protegendo non tam magna vi, quam accurata vigilantia opus erit, ne a plebe rei bellicae ignara suffuretur. Nec dubitetis multos jam apud nos propulsandae hujuscemodi eorum injuriae studio esse accensos, et in ultionem apparari, si a temeritate non destiterint. Quorum graviore certe animo feruntur injuriae, quam damna aestimantur, quae inferre possunt. Direptores enim et novi ac imbecilles sunt, et jam duo ex illis, Custos scilicet notus nothus et Veres, domo ac tota suppellectile ac re pecuniaria per Michaelem Croatam, militem regium exuti. Valete. XII. kal. Septembris. Albae Juliae Transsylvanae MDXL.

---

*) A levél kezdete ki lévén szaggatva, e szóig a pótlás Katonából történt.

LXII.

Marilianusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Mariliano S.

1540. aug. 24. Et magna sunt, Mariliane charissime, et minime jucunda, plenaque perditissimae spei, quae nunc aguntur. Nec scio, cuinam potissimum judicem imputandum, nisi hujus gentis ingeniis. Nam humanarum rerum is cursus semper fuit, ut tam reges quam privati homines morerentur alii, alii nascerentur, et vices mutationesque omnia orta paterentur. Petrus Petrovith, Valentinus Turcus et Georgius Heremita, aliique partium regis filii duces, soluta obsidione ab arce Fogaras, infecta compositione cum Mailado et Balassa, decretis comitiis nec habitis, qui error caeterorum omnium maximus accidit, impositis item impedimentis, bombardis aliisque ingeniis bellicis in naves, dimissa utique magna exspectatione comitiorum, quibus se tranquilla omnia hic relicturos promiserant (nec fallebat eos opinio, si illa peragebant, quia non ita animi ac spes multitudinis titubassent), nudius tertius Mariso flumine ex oppido Vinz cum toto exercitu Dewam abiere, inde, accepto corpore regio, in Hungariam ituri. Afferunt causam, se per reginam vocatos, ut Budam quam celerrime veniant, componendas et statuendas prius esse res cum hungaricis proceribus et capiti regni consulendum, sic demum reliquorum

omnium faciliorem curam administrationemque fore. Sed ad hanc causam timor etiam accessit Heremitae, de non amittendo Varadino et regia ingenti supellectile ac pecunia nuper Cassoviae cusa, ibidem ad majores usus reposita, siquid fortuito evenisset. Nunciatum enim est, Petrum Perennium, Franciscum Bebeek, Gasparum Seredy, et Sigismundum ac Melchiorem fratres Emerici Balassae, cum bene numeroso milite et bombardis, ut ferunt, murifragis eam arcem velle oppugnare, nec id cur fiat, aut cujus nomine, suo ne, an regis filii, an Ferdinandi, facile est judicatu. Quorundam est conjectura, ut quamprimum opprimatur Heremitae potentia, demumque occupatis regiis thesauris, et Varadiensi episcopatu accepto, Petrus Perennius suae tam diuturnae sane spei viam aliquam aperiat, quum et hunc, regnum semper affectasse, etiam vivente Joanne, compertum est, et Heremitam omnes proceres capitali odio, ut non ignoras, sunt persequuti, quandoquidem indignum sunt existimati, summa eum, immo praecipua, qua erat, authoritate atque regimine apud Joannem esse. Cui etiam tota plebes ac Hungariae populi perpetuas dudum imprecantur diras, quod ingentium iniquarumque exactionum author et inventor regi exstiterit. Quod ad alia attinet. Heri in aedibus Stephani Custodis nothi, Joannes Veres et Franciscus Swlyok per Michaelem Croatam, cum circiter CCLX. rusticis, quos sibi asciverant, obsessi sunt, et igne primum expugnati, dein ferro concisi. Aedes ipsae exustae sunt, et humotenus demolitae. Duces sceleris, praebita fide de spoliorum latrociniorumque cessatione, dimissi. Vale. IX. kal. Septembris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXIII.

Marilianusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Mariliano S.

1540. aug. 26. Hodie a Petro Perennio redditae sunt litterae nostro capitulo, quibus scribit, omnes Hungaros utriusque factionis unitati diu desideratae animos jam admovisse atque addixisse, nihilque innovaturos penitus de principe novo eligendo asseverat, sed staturos his conditionibus, quas proximis tribus annis Joannes cum Ferdinando Varadini inivisset. Ad quam voluntatem consensumque nos quoque, quemadmodum caeteros Transsylvanos, obnixe hortatur, ut quieto ac tranquillo regni statui omni ex parte consulatur, vitatis controversiis et novis studiis. Improbat praeterea Heremitae ejusque collegarum consilium, quod cum exercitu regis, odioque ejusdem Mailadum ac Balassam nullo jure oppugnare, belloque voluerint persequi. Ad haec denunciat se cum aliis regni Hungariae primoribus, absque dubio suppetias Mailado et Balassae venturum, nisi quamprimum ab ejusmodi conspiratione desierint, non esse, inquiens, ipsos solos duntaxat proceres, non principes, non Joannis regis haeredes, nec quicquam tale illis ab omnibus regni ordinibus imperatum. Duas igitur et praecipuas causas tam repentini eorum discessus ex Transsylvania esse arbitramur. Reginae vocationem, quae ex hoc majus incendium verebatur, si rebus sic turbatis, Hungari

cum Transsylvanis arma commiscuissent, et Perennii expeditionem, propter quam periclitabatur Varadinum. Sed Perennius, postquam accepit, a Mailado et Balassa ammotum exercitum, destitit a proposito. Nunc alia comitia, habenda Segesvarii, indicta sunt, ubi et Mailadus et Balassa intererunt. Tractabitur in his de sola conservatione Transsylvaniae et restitutione, ut sentio, proscriptorum in bona sua, Balassae praesertim, cui ne palmum quidem terrae, neque unicum colonum ira regia dimisit. Vale. VII. kal. Septembris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXIV.

Testvérének, Mihálynak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Wrancio fratri S.

Quam infirma et inconstans rerum humanarum conditio est, cognosce frater vel ex his, quod nos ipsi in Joanne rege tum vidimus tum cognovimus. Perpetuis enim diebus ab usque pueritia odiis procerum insectatus, ab auspicato regno armis adversarii, regni competitoris conflictatus, proditionibus et insidiis tam forensibus quam domesticis petitus, in pugna vix semel aut bis terve victor, idque contra Seculos, et Cruciferos, et quum Maximilianum imperatorem ab Alba Regali adolescens adhuc summovit, fugatus semper, exilium demum passus, et a suis aeque atque ab amicis externisque destitutus, quid? nonne semper actum est secum, magis ex prudentia fortunate, quam stre-

1540. aug. 29.

nue. Fortunate, quod illa ingenio, tolerantia moraque, plerumque semper periculosa, soli ipsi semper fructuosa evaserit; quam strenue, quia etsi nulla vi, nulla potentia bellica hostem superavit, vinci tamen nunquam potuit, nec postmodum in regnum, Turcae auxilio reductus, ad extremum vitae diem solio expelli. At his jam exantlatis, inita cum hoste pace, firmatis magna ex parte rebus regni, conciliatis sibi procerum animis, ducta mox uxore, paulo dein post Mailadi et Balassae exorta in se conjuratio, ulturusque eam in Transsylvaniam profectus, et suscepto interim filio Joanne, quo nec viso, nec sesquiannum habito cum uxore maritali commercio, exstinguitur. Advolat sub haec nuncius Bohemorum, Moravorum ac Slesitarum cum litteris, omnium ordinum sigillis obsignatis ac manuum chirographis roboratis, corpore adhuc regio in Transsylvania existente, et vix dato conditorio, quibus unamini consensu fatebantur se ac regnum ipsorum Joanni tradidisse, eumque in regem ac dominum elegisse. Hortabantur praeterea et certatim flagitabant, veniret, potiretur ultro oblatis, se omnes fideliter ejus et auspicia sequuturos et facturos imperata, quod Ferdinandi regis gravem dominationem ferre non possent. Huic quid potuisset esse felicius aut laetius, maximae infelicitati et moestitiae uno atque eodem tempore conjunctum? Hostis in amicitiam adductus, bellum revocat et ponit arma. Uxor juvenis, integerrima, prudentissima ac pulcherrima floret, filius optatissimus nascitur, regna offeruntur, caesar potentissimus cunctis christianis principibus inimicus, uni Joanni amicus, favorem opemque pollicetur ac regna donat, divitiae affluunt, proditores puniuntur, subditi regi incipiunt, nec misero licet frui,

et mors una tenebra tantam lucem inter tot felicitates uno momento obscurat. Porro haud diu post et ex Turcia affertur, Solymanum deflere tanti amici casum, nec minorem dolorem ex morte patris, quam de nativitate filii laetitiam percepisse. Jubere praeterea dicitur omnibus proceribus, ut mox de more patriae coronent puerum, serventque et pro sua quique fide educandum curent. Se eodem animo ac benevolentia erga filium fore, qua in parentem fuerit, eumque prosequuturum accuratiore defensione, favore, ope, ut infantem et orphanum. Quam parvo tempore quam multa varietas. Sed tu nil omni ex parte beatum ducas. Miscent has vices fata inter principes et privatos, inter opulentos et egenos, inter senes et juvenes pro suo arbitratu. Et summa quidem magis affliguntur ubi indignius quid summa fortuna, summo statu perpetiuntur. At ego ut ingenue fatear, et publica celebritate et aulae illecebris facile carere possem, mediocrique conditione mirifice delector, in qua adversi casus minus graves, ambitio nulla, metus parvi, ut in parva re, et habendi cupido nec frangit somnos, nec parit sollicitudinem. Eo igitur duntaxat me divitem ac satis beatum putabo, si Deus, quae mihi parva quidem at benigna tamen obtulit manu, salva esse voluerit. Vale. IIII. kal. Septembris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXV.

Nagybátyjának, Statilius Jánosnak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Statilio avunculo S.

1540. sept. 2. Quarto kalendarum Septembrium Segesvarii habuere Transsylvani comitia, quae funestum et seditiosum procul dubio attulerunt seminarium. Utinam autem non habuissent ea, aut salubriora consultioraque decrevissent. Video prorsus Transsylvaniam in partes, dein mox sub Mailadi tyrannidem abituram, quandoquidem indies magis ac magis studium hoc ejus, sollicitudoque de principatu apud nos confirmatur nec persuadetur minus. Illexit is ad se jam tres Seculorum sedes, potiores vero ejus gentis omnes, et nobilitatis magnam partem, moliturque novae dignitatis titulo tam se quam collegam a toto regno creari in capitaneos, necdum frigefacto et humato optimi principis corpore, ut sic, multorum judicio, decepto collega, quem scit malo et composito sibi consilio fuisse datum, et jam omnibus bonis ad assem privatum, facilius progressum proposito facinori compareret. Quod vel ex eo asseritur, quia in comitiis nemo bonus verbum est ausus proloqui, suis duntaxat omnia affirmantibus et probantibus, quae illi voluissent. Quae igitur illic statuerunt, accipe. Mailadum imprimis et Balassam, utrumque pariter capitaneos generales elegerunt, concessa eis omni potestate authori-

tateque, qua in vaivodatu fuerunt. Universum item regnum, nobiles scilicet, Seculi ac Saxones, tria millia hominum armatorum illis promiserunt, ad propulsandas quorumcunque injurias ac damna. Pro stipendiis eorum censiti sunt coloni nobilium, quique, ut dicunt, portatim in denarios LXV., Seculi et Saxones seorsum certam summam persolvent ad diem. Praeterea ut ipsi capitanei accipiant in manus suas omnes salium fodinas, quas cameras vocant, omnes aurarias vectigaliaque ac caeteros proventus regios, ubique locorum in Transsylvania existentes, administrentque quamdiu novi principis electio habebitur, hoc adjecto: ut interim liceat eis accipere ex his, impensae hactenus operae ac deinceps impendendae salaria sua. Ut episcopus Transsylvanus penes eosdem capitaneos solitas gentes suas integro numero teneat, si pacifice episcopatu ac reditibus suis frui velit, sin secus fecerit, omnibus privetur et habeatur pro extorre. Totum etiam regnum teneatur insurgere et arma capessere, si negotium quodpiam majus ingrueret ac necessitas, cui particulares vires non sufficerent. Ut pecuniae tam novae, quae Ferdinandi, quam veteres, quae Mathiae, Ladislai ac Ludovici regum, et asprae, quae turcicae sunt, exclusis Joannis regis, sine delectu impendantur ubique. Ut Nicolaus Thomoreus, quem praecipuum accusatorem conjuratores habuerunt, homo singulari studio in patriam, ingenio promptus, lingua tantum mordaci sed prudens, toto regno ac finibus decedat intra XV. dies, quibus expletis, si non paruisset, occidere illum quisque impune posset; uxori, ac liberis patria, domus, bona omnia permissa. Proinde ut mittantur legati ad reginam et ad Hungariae proceres, iisque voluntas, con-

sensusque ipsorum mutuus declaretur, reginae etiam omnium trium nationum uno nomine fidelitas commendetur, petaturque suppliciter, donet facultatem demoliendae arcis Balvanos novi, quod universae Transsylvaniae detrimento esset et causa dissensionum. Ut alii similiter legati ad utriusque Valachiae vaivodas, utpote ad vicinos decernantur, quibus exposita hujuscemodi eorum concordia, agerent pro favore et amicitia solita. Ut Bornemiza, qui Saxosabesum tenet praesidiis, caeterique arcium omnium praefecti, fideles regis filii, hortentur, sederent intra muros quieti, nihil occuparent, in neminem arma exercerent, et commissa sibi custodirent, neque metas excederent, quandoquidem nihil juris exterius possiderent; exspectarent vel tantillum, quamdiu legati a regina reverterentur, se neque nunc, neque in posterum ejus majestatis ditionem invasuros. Caeterum nemini injurium debere fieri, si ipsi interim sua recuperare curent vacante sede principe. Ut nemo demum Transsylvanorum citra regni ac capitaneorum voluntatem praesumat, extra patriam stipendia facere, qua ex re seditio intestina et divisio ordinum oriri posset: quod decretum qui deprehenderentur non servasse, habito delectu aliquot insignium personarum totius regni, debitis poenis atque suppliciis juridice afficiantur; neque quisquam quantumvis summus as dives novum quempiam regem aut acclamare aut inducere audeat, praeterquam quem primates Hungariae creaverint. Postremo ambo ii capitanei, exigente universo populo, fide sese ad justam administrationem observationemque omnium promissorum, defensionem item communis tam patriae quam libertatis, quoad ejus fieri poterit, obligarunt, deque acceptis hucusque a quibuscunque

injuriis nunquam se vindicaturos promiserunt, sic Deus ipsos adjuvet ametque. Paulo enim post solutionem comitiorum, necdum exactis XV diebus, Balassa colonos Nicolai Thomorei in praedam vertit, equitium egregium, pecora armentaque magno numero abegit. Mailadus arcem Gewrgen obsedit, aliaque multa edidere longe diversa ab his, quae comitia decreverant et caverant. Sed tu prudens, et tam arrogantis ingenii Balassae ac Mailadi versutiae, quam reliquorum Transsylvanorum moris minime nescius, expendas animo hujusce conventus deliberationem et actiones authorum conjurationis, quaeso. Nihil profecto, vere nihil probandum invenies. Oratores supplices ad reginam mittunt, fidelitatem offerunt, auxilia poscunt, pro gratia laborant, ab Hungariae proceribus regem se exspectare profitentur, seditiones et factiones prohibent, patrocinium patriae, omnibus ordinibus libertatem, seque quieturos a moliendis rebus novis, dum redierint legati, et justitiam administraturos cunctis pollicentur: interim vero reginae principatum usurpant, novis titulis sese extollunt et armant, arces Geurgyn, Weech, Almas, Letha, Dyod et castellum Gherend obsidionibus ac machinis vexant, fodinas salium, auri, et quicquid vestigalium et regiorum proventuum usquam est, occupant ac diripiunt, officiorumque administratores pulsant et in carceres rapiunt. Ad hoc factiones quoque et seditiones in populo erigunt, omnem, quem arma ferre et rem ampliorem domi habere cognoverint, in partes suas trahunt, et nec justitiae student nec patrocinium miserae genti afferre queunt, dummodo ipsi ditentur et potiantur his, quae invasere. Praesentium rerum status in hoc regno is est. Oremus Deum pro meliore, quia

periclitamur. Vale. IIII. Non. Septembris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXVI.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Chakyo S.

1540. sept. 22. Relatum est capitulo, milites Balassianos recens novas insidias castello isti nostro Enyediensi intendisse, daturosque omnem operam, ut eo, sive jure sive injuria, prima certe occasione potiantur. Nec dubium est, quosdam ex janitoribus ipsius castelli ad id sceleris proditionisque esse clam instructos. Quare nostra sententia est, ut pedites, quos scis externos, dato stipendio, honesta missione istinc ableges, tanquam non necessarios, et illos te suspectos habuisse nulla re, ne vultu quidem significes propter caeteros. Dein mox novos substituas. Si vero quospiam ex nostratibus consilium cum iis communicasse intelliges, eis te quoque carere non taedeat. Saepe occulta perfidia apertam magnis etiam civitatibus solet afferre perniciem. Igitur si unquam alias conservationi loci istius advigilaveris, advigila nunc quam maxime, et ita ut nocte etiam Argus ac Lynceus fias. Solertiae tuae ac fidei referes suo tempore dignos fructus cum laude, quippe qui nunc etiam isto munere prae caeteris omnibus dignissimus haberis, quod tua ope atque industria nos omnes hic sine sollicitudine quiescimus. Vale. X. kal. Octobris MDXL. Albae.

LXVII.

Szalánczi Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Zalancino S.

Gurgites, in quos regnum hoc incidit et misere 1540. oct. 12. absorberi coepit, scire te et videre non dubito. Eo enim res Transsylvanae nunc devenerunt, tot vaivodis, capitaneis ac dominis subjectae, ut profecto etiam sapientissimis viris opportuna consilia capere, quid agere, quo se vertere, optare ne magis mori an vivere debeant, difficile sit. Sed tamen ego sicut semper sincera amicitia abs te sum prosequutus *), ita nunc maxime eam apud me re ipsa auxisti et confirmasti, quod colonos meos tibi vicinos, nuper a libidine praedatorum conservasti. Equidem immortales ago tibi gratias, relaturus cumulatissimas, si his calamitatibus non exstinguemur. Id in me officii, in illos beneficii ut in posterum quoque conferas, vehementer rogo. In memorem amicum conferes quicquid per te unquam commodi accepero. Quod ad nova attinet. Vulgatur apud nos, caesarem Turcarum proceribus Hungariae significasse, neminem se velle alium regem in Hungaria, quam Joannis regis filium, jussisseque ut illi ex primatibus quatuor tutores constituant, ac si puero

*) Az olvasó már észre fogta venni, hogy Verancsics gyakran szenvedők gyanánt használja a letevő igéket, s mi nem láttuk szükségesnek, ezt Katonával kiigazítani.

mors contigerit, ut unum ex iis IIII. prae caeteris ad coronam aptissimum, pro regni more, consilio atque unanimi consensu eligant, nolens ut unquam genus Alemannicum sceptris Hungariae ac nostrae gentis dominatione potiatur. Audivimus etiam, Valentinum Turcum creatum esse in regni gubernatorem praecipuum, quod maturo et non poenitendo consilio multis factum videtur, quum vir sit bellicosus et liberalis et nationis suae summus amator; sed non affirmanter constat. Archiepiscopus vero Collocensis Franciscus Fregepanus, Petrus Perennius, Franciscus Bebeek, Stephanus Raskay et Sigismundus ac Melchior Balassa fratres, partium Ferdinandi regis studiosos se esse manifeste detexerunt: neque interfuerunt comitiis ab universo regno in campo Rakos celebratis. Quare ajunt ipsum Valentinum jam bombardas apparasse, et gentes in aciem produxisse, oppugnaturum inprimis Stephanum Raskay, uti Budae magis proximum, dehinc caeteros, quos memoravi. Quid veritas habeat non satis scio. Deum immortalem ac Mariam virginem sempiternam, amplissimi hujus regni custodem ac vindicem exoremus, ut misereantur nostri et haec monstra Hungariae, quae publicae unitati ac paci adversantur, exstinguat. Ecce Hungaros nec Alemanni per se, nec Turcae, nec alii quipiam hostes bello premunt, immo ipse Turca etiam defendit et conservare nititur, soli ipsi Hungari Alemannis juncti, in se ipsos saeviunt, sibi ipsos bella excogitant et indicunt. Et quid restat, mi Joannes, quam ut Deum in se exstimulent atque arment, et suapte voluntate peregrino domino in servitutem sese dedant? Non praeteribo illud, quod scitu dignum existimo. Adjecerunt nuncii, caesarem Turcarum diu dubitasse, an Joannes

rex filium reliquisset, quod ei opera Mailadi persuasum fuisse creditur, eamque ob rem Budam oratorem misisse, ut id dubii animo eximeret. Cui ingrediente Budensem regiam, ferunt, reginam lugubrem ac moestam suis ulnis puerum obtulisse, et Joannis filium caesaris orphanum ac pupillum esse, non sine valido fletu protulisse, eundemque, recluso mamillari et exerta papilla, coram lactavisse; oratorem vero vix retentis lacrimis, genu procubuisse et pedibus pueri osculo exceptis, reginam bono animo esse jussisse, appositaque infantis pectori dextera, verbo Solymani caesaris juravisse, quod idem caesar hunc, hunc, inquiens, puerum, Joannis regis filium Hungariae regem fecisset, et in protectionem suam accepisset, quodque neminem alium Hungaris, quamdiu viveret, regnare ac praeesse vellet. O miram Turcae cum bonitate clementiam! O Dei in Hungaros amorem stupendum et non intellectum! O Hungarorum inauditam salutis ac boni sui ignorationem, qui aeque sibi ac principibus suis inimici sunt, et quibus externi hostes parcunt, et compatiuntur, ipsi oderunt et persequuntur, melioremque ac aequiorem Turcam in se habent, quam se ipsos. Vale. IV. id. Octobris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXVIII.

Bagdi Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Bagdio S.

1540. oct. 12 A colonis meis villarum Sythvae ac Bolkach Nicolaus a Haranglab censum in proximis comitiis Segesvarinis imperatum, aeque ac tu, quem solum collectorem agnosco, petit, et nisi ei sine mora exhibebitur, ignem ac totius pecoris abactionem minatur. Homo et Mailadi conjuratione notatus et alieni nunquam satur. Profecto inter tot principes exactoresque, morte Joannis regis in regni perniciem subortos, quo verti debeamus, tanquam inter tot Scyllas et Charybdes voracissimas, penitus ignoramus. Ubique enim exhaurimur, depraedamur, spoliamur, non secus atque in pereunte regno, quum hinc et Bornemyza, reginae in Transsylvania partium caput, satis pro viribus suis quaecunque potest, extorquet, Mailadi ac Balassae exemplo contentioneque, nec immerito forsan, utpote qui dominum opprimi ac regno pelli non patitur. Verum si tu is erga me es, qui semper fuisti, rogo agas pro vetere amicitia nostra et benevolentia non falsa, ut a colonis meis duplex uno tempore tributum non exigatur, sed illud aut tu solus exige, aut solo Nicolao exigendum permittito, ne miseri, quod longius agunt a domino, ut nux propter viam posita, ab omnibus transeuntibus passim affligantur. Sit igitur eis in tua integritate praesidium, sit in probitate

refugium, quod et ipsi rependant obsequiis, et ego recognoscam officio. Reliqua etiam eorum commoda tibi, ut vicino meo, quem patris loco habeo, commendo. Vale. Albae Juliae Transsylvanae IV. Id. Octobris MDXL.

LXIX.

Izabellának, Magyarország királynéjának, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Isabellae reginae Hungariae felicitatem.

Conjuratio tandem Stephani Mailadi in lucem sese exeruit, et quo animo, qua fide, vel perfidia potius atque ingratitudine erga suum principem fuerit, patefecit. Proximis comitiis XI. kal. Octobris in oppido Byrthalom habitis, orator Turcarum caesaris ad omnes Transsylvaniae ordines missus, auditus est, qui legationem in hunc modum exposuit. Potentissimus imperator, caesar Solymanus, cujus et vos et Hungari omnes mancipia sitis, nempe ejus ferro victi et subacti, posteaquam Joannem regem Deus Maximus vivis exemit, quem et si non obiisset, erat tamen quaesiturus, quod in fide et officio secum non perstiterat: Mailado, quem et justum et vestri quoque generis hominem scit, regnum Transsylvaniae cum omnibus finibus, viribus ac reditibus suis confert et donat, jurat ad haec per maximum ac vivum Deum, per avos, proavos, atavos, ac caeteros omnes majores suos, per filios item, per ensem, per salem demum ac panem, se

1540. oct. 12.

vos omnes in vestra fide, more, consuetudine ac juribus servaturum, nisi per vestram infidelitatem defuerit. Proinde jubet, ut ipsius Mailadi, tanquam vaivodae, principis ac domini vestri legitimi imperata faciatis, quod qui noluerint, sciant, se ipsius Solymani imperata non fecisse, eundemque Solymanum caesarem ultorem habituros. Ad Mailadum dein conversus: Tu vero, ait, interim si quospiam rebelles et contumaces tam caesareae quam tuae voluntati cognoveris, ferro ac flamma in hos desaevias. Praecepit etiam ejus majestas tam vaivodae Moldavo, quam Transalpino cunctisque zanzacchis, qui Istranas provincias tuentur, ut poscente necessitate, tibi sese adjungant, et communibus viribus seditiosos ac rebelles facilius coherceatis. His expeditis, Turca subito responderi sibi postulavit, declararique totius gentis ac Mailadi ultimam voluntatem, ne et illi caesarem verbis tenere velle judicentur, et ipse quod a veritate abesset, referret, quae res in perniciem capitis ejus verteretur. Erant haud pauci ex conjuratis Mailadi, praesertim Franciscus Kendy, Ladislaus Mikola, Martinus Gherendy ea sententia, ut mox responderetur: totam Transsylvaniam ipsum Mailadum accepisse in principem, eidemque uti domino parituram. Sed plures qui meliore cousilio ducebantur, et quibus dolebat ab Hungaria scindi Transsylvaniam, rem praecipitare vetuerunt, ne repente Mailadum principem suum confitendo, mendacia ejus apud caesarem confirmassent, et sponte sua subjectioni se dedissent, cujus paulopost eos poenituisset. Consuluerunt itaque, ut prius caesaris hanc voluntatem et Transsylvaniae tuae periculum tibi Hungariaeque proceribus, praesertim qui filium Joannis regnare et legitima haereditate paterni regni cupiunt potiri, significent, petantque, ut si ex Hungaria Trans-

sylvaniae conservatio fieri nequeat, ipsi Transsylvani mature cognoscant, et quam consultius maturiusque possint, sibi prospiciant, ne si a Turca vi per injuriam expugnentur, in graviorem servitutem conjiciantur, affliganturque extrema percussione. Quum itaque de termino alii contractiore, alii longiore ferrent sententias, ipse orator, intellecta hujusmodi difficultate responsionis, quum totum regnum non convenisset, annuente et Mailado et caeteris omnibus, spatium quinque mensium ad respondendum praefixit eis, ita tamen, ut unicus dies non praetereat, et responsum certum dent. Ne autem nunc nihil respondendo, caesaris voluntatem neglexisse viderentur, miserunt ad eum cum hoc oratore Turca Lazarum Wezewdy, militem ipsius Mailadi, cui in scripto injuncta est legatio brevissima, et ad praescriptum de industria, nisi aliam in secreto habuerit a Mailado, quod credibile est, propter sitientissimam hominis dominandi cupidinem. Ea autem talis est. Imprimis quod majestatem ejus caesaream cura illorum non praeterierit, quodque se orbatos principe tanta gratia et clementia prosequatur, ingentes agunt gratias, et fidelitatem cum servitute pollicentur. Deinde quod inpraesentia certum responsum ad ea, quae ab oratore ejus acceperunt, ei facere non potuerunt, afferunt causam, quia viritim omnes, ut mos est patriae, non convenissent, minimeque liceret paucis in re tam ardua de omnium statu deliberare. Petunt itaque supplices, ut id in bonam partem interpretetur, neque gravetur pro sua benignitate ad dictum terminum per ejus oratorem datum, responsum ipsorum exspectare, quod per legatos viros primarios, quemadmodum fideles subditos decet, facturos sese obtulerunt. Munere dehinc promisso, et

precata illi felicitate verbum non addiderunt. At pro munere apparando Seculi contulerunt duo millia numum aureorum, Saxones totidem, coloni nobilium pendent portatim denarios LXXV., hisque commode et mature expediendis designandisque oratoribus alia comitia in oppido Vasarhel ad XV. kal. Novembris habenda indixerunt, in quibus sine dubio multa alia tractabuntur, quae ad hanc scelestissimam proditionem Mailadi pertinebunt. Sed hic orator Turcicus, vera sint quae attulit, estque verus caesaris orator nec ne, haud facile constat. Multi rem compositam et excogitatam a fallácia Mailadi opinantur, et apud caesarem, ministris Radule vaivoda Transalpino et Hieronymo Lasky transigi, quo dominationem Transsylvaniae, ad quam dudum succensum fuisse ferunt, possit invadere. Nec desunt, qui dicunt non esse mentitum oratorem, sed Mailadum verba dedisse caesari, certo se scire asserunt; quod scilicet Joannes rex sine filio decessisset, et quod optet totum regnum ipsum sibi in principem dari, tanquam unus esset, qui Germanos arcere possit ab Hungaria et tantae gentis habenas fortiter moderari. Sed haec omnia quamquam non ambigo tuae majestati plane constare, meae tamen fidei, qua in Joannem mihi certe regem clementissimum fui, quaque nunc in filium ejus et in te sum, putavi esse, si totam hujus tragoediae seriem ad te perscriberem. Caeterum, non ut tibi consulerem, quid facto opus esset, sed quid sentirem faciundum dicerem. Quod ejusmodi est. Quum nempe Mailadus ferocissimo et iniquissimo spiritu, impatiens omnis morae rem suam non aequis modo, sed etiam iniquis rationibus ad finem deduci contendit, et in sola celeritate votum constituit, ut rerum potiatur, quo omnium in

se unum translata potentia, in dominio permaneat, aut si id assequi nequit, Ferdinando regi, tanquam abhorreret Turcae servire, tradito regno, solus duntaxat tanti muneris gratiam referat. Quare operae pretium esse, ut extemplo oratores tuos, qui apud caesarem sunt, faceres certiores, mandaresque ut totis viribus. apud eum agerent tuo nomine ac omnium procerum qui tuarum partium sunt, pro favore ac tutela pueri, diluerentque ejusmodi Mailadi mendacia rei veritate, quod si posceret necessitas, agerent etiam donis, more parentis pueri, quum largitio plurimum potest apud Turcas. Nec diffido, eum principem, quamvis Turcam ac barbarum, qualem sese in patrem fide atque benevolentia exhibuit, in filium quoque similem fore; et proculdubio tum infantia pueri, tum tuae majestatis sexu ac viduitate commovebitur non mediocriter, quandoquidem tantum caesarem, qui viris atque hostibus saepe pepercit, qui iis, quorum genus de fide ac nomine semper odit, aliena regna donat, et in suis donari permittit, in puerum ac mulierem saevire turpe et inglorium esset. Ad me quod attinet, quamquam ego non sim tanti, ut majestatem tuam vel minima mei cura contingat, isto potissimum tuo luctuoso ac laborioso statu, non tamen committam, ut reprehendi possim, quod malo quopiam animo filium domini mei clementissimi ac reginam benignissimam destituissem. Eo enim loci sum, ubi etiam rebus tuis pro mea mediocritate prosim. Etsi forsan alibi velis me esse, lubentissime jussa tua exspectabo, accipiam, obibo. Neque putes me aliam ob causam ab aula tamdiu abfuisse, quam quod et hi motus itinera maleficis hominibus infecerunt, et ut nonnihil rebus avunculi mei praesidio esse possem, quum facile initio bellorum et

in obitu principum, Hungarorum non plebis solum, sed etiam amicorum animi perturbantur, varianturque voluntates, a quibus nobis nunc maxime metuendum esse conspicio. Supplex itaque peto, digneris mei, o regina, meminisse, et me in numero fidelium tuorum censeri. Vale. III. id. Octobris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXX.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

1540. oct. 14. Scribitur ad me ex Hungaria, quod quum proxime Petrus Perennius, Franciscus Fregepanus Collocensis archiepiscopus, Franciscus Bebek et Sigismundus Balassa cum caeteris partium suarum seditiosis habituri essent comitia in oppido Gywnges, quidnam in re praesenti agendum illis esset, et qua ratione fieri posset, ut regem Ferdinandum in Hungariam quam celerrime inducerent, quandoquidem mox intellectis omnium animis et voluntate, ad eum proficisci deberent, una secum inituri certa et firma jam tandem consilia de summa omnium rerum, et in primis de obtinenda arce Visegradiensi et dein Buda obsidenda, quam se seu vi, seu mallent dolis, facile accepturos sperabant, quod in ea mulier praeesset juvenis et nova, quae nec ingenia gentis Hungaricae bene novisset, nec praesidia adhuc valida comparasset, neque regimen suum in Hungaria firmasset, ut-

pote vix sesquiannum ex Polonia adducta. At ii quoniam in Joannem regem semper obliqui exstiterunt, nondum humato ejus corpore, ad Ferdinandum transierant, (sed Fregepanus cum nova et ea maxima, illi cum vetere et multa infamia) arbitrantes statim defuncto Joanne Ferdinandum sine omni negotio defectione ipsorum regno potiturum. Verum, ut video, non foeminam sed virum nacti sunt adversarii, neque existimes Joannem exstirpatum, si succisum, quam late brevi fruticabit, tantisqer exspecta. Sed ad rem. Miserat regina Stephanum Raskay ad haec camitia legatum, uti ex primatibus unum, tametsi adolescentem, ut intelligeret comitiorum causam, et nequid novarum seditionum molirentur, quos adhuc fideles existimabat, etiam hortaretur, quum omnia in regno quieta et pacifica essent, nec minus certa, foreque etiam certiora, si se non desererent. Ille ut homo juvenis, experientia nulla, consilio immaturo, et ad haec multarum virium, et Francisci Bebeek gener, mox omni cum apparatu bellico profectus Buda, eorum factioni, ad quos erat missus, impudentissime adhaesit. Quis, frater, sperasset hunc adolescentem indolis optimae, familia nobili, parentibus optimis, Budae vicino, et a Joanne, ut scis, ad omnia officia maxima promotum, in tantam ingratitudinem et nequitiam prolapsurum? Quem etiam rex proficiscens contra Mailadum et Balassam in Transsylvaniam Budae praefecerat honestissima conditione ac titulo, tantum illi habebat fidei. Sed aetati tenerae et rerum inexpertae facile persuasum est ab socero, et a malorum ducibus aeque cum illo desipientibus. Credo imitari voluit Nicolaum Thelegdy, qui simili ratione usus, ex oratore, quum de concordia ad Mailadum et Balassam fuis-

set missus, factus est conjuratorum transfuga. Verum luit nunc suae inconstantiae poenas. Quicquid bonorum habuit in comitatu Canadiensi, Petrus Petrovith occupavit. Forsan et Georgius Heremita idem de Thelegd cogitat. Ita nunc cum Mailado Nicolaus male aliena praedatur, qui sua inconsulte amisit. Tu vero vale, et da operam, ne te hi tumultus hauriant. Quantum potes, cave ab effundendo sanguine christiano, et a pauperum praeda abstine, sciens horum exaudiri apud Deum gemitus. Immo illud tibi suaderem, ut omissa militia hujus temporis, privatus mecum ageres. Quippe quod hoc praesenti saeculo milites nec vivunt honeste, nec cum laude moriuntur, germana ac gentilia bella exercentes. Iterum Vale. Pridie id. Octobris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXXI.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

Paulo post ad te quam has superiores litteras 1540. oct. 14. dedissem, accepimus, quod Ferdinandus rex Hungaris nunciavisset: (puto credens se verbis ac minis huic nationi persuasurum, ut mox in regem acceptaretur, quem alioqui, quantumvis tergiversentur, coronarunt) desinerent omnino a tot spoliis, caedibus et incendiis per Hungariam edendis, quandoquidem regnum Hungariae ipsius esset. Caeterum ut abjectis somniis et tyrannorum falsis persuasionibus, omnem operam illi tamquam regi suo legitimo navarent, et praestitae dudum fidei meminissent; aliaque id genus plura. Responsum est: Hungaros nihil secum contentionibus, nihil bello, nihil jurgiis acturos, ejus majestas ageret apud Solymanum Turcarum caesarem pro regno, quod si Turca illi concederet, se non contradicturos. Breve responsum, et cui opponi nequit, quum nunc, si vera fateri volumus, ab ipso caesare regnum Hungariae, postquam Deo sic placuisset, penderet. Ob id commotum Ferdinandum regem vehementer dicunt, jamque magno cum exercitu ad XV. lapidem longe a Buda consedisse et maximis itineribus ulterius progredi. Sed non credimus ejus militem hiemem hungaricam in castris toleraturum, nimis si quidem curta, perscissa et circumcisa veste vestitur, nisi arces aut

oppida aliqua receperint. Quod ad Transsylvaniam attinet. Heri Balassa habuit colloquium cum Bornemyza in alpibus aurariarum Offonbanya appellatis, et secum inivit concordiam in hunc modum. Ut fidem uterque alteri inviolabiliter servet. Ut mutuo contra quoslibet inimicos auxilia praestent. Ut Balassa teneatur continue habere equites CCC., pedites centum, et reginae ac Joannis filio militare, eoque loci esse, ubi pro rei exigentia ipse Bornemyza voluerit. Caeterum si Mailadus oppidum Saxosabesum oppugnatum veniret, ut Balassa cum omni suo apparatu et clientelis obsidentem invadat, quandoquidem et Bornemyza dedita opera, ut idipsum ab altera parte praestare posset, oppido ante adventum ejus exiret, fore, ut sic facile tyrannum opprimerent. Has conditiones Bornemyza libens accepit, Balassae gratiam reginae, et bonorum restitutionem promisit, si in fide et societate sua, in omnem rerum eventum perseverarit. Magni quidem referebat Balassam a Mailado disjungere, quia partitis eorum viribus, uterque imbecillior reddebatur et Bornemyzae facilior cum singulo ipsorum futura erat concertatio, quam cum utroque simul. Ad hoc vinculum foederis eo magis etiam adducebatur Bornemyza, quod adjuncto sibi Balassa, Seculam nationem ferme dimidiatam, et multos nobilium in suas partes trahebat, quum et Balassae, ut Mailado, haud pauci ex his semper faverant. Ut autem undequaque posset, sese Bernemyza contra potentiam Mailadi armaret, Nicolaum quoque Thomoreum Balassae reconciliavit, quod is genere, pecunia, favore, populari linguae vi, gerendarum rerum ingenio et authoritate ex regia benevolentia et publicis muneribus adepta, inter caeteros nobiles plurimum polleret, hincque ma-

gnum incrementum rebus Joannis filii posse fieri non dubitabat. — Nunc in his comitiis proxime celebrandis, quibus ut nunciatur, etiam reginae orator Emericus Bebeek intererit, si sic ii duo erunt uniti, quum alioqui et filio Joannis multi Transsylvanorum videntur patrocinari metu Turcarum, facile Bornemyza omnes has tres nationes habebit in fide et studiis suis, Mailadumque certus de victoria persequetur, qui jam amicorum opera vulgat comitia esse dilata, quia videt se sua spe nonnihil falsum, et res Pueri feliciter procedere. Vale. Pridie id. Octobris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.

LXXII.

Az erdélyiekhez Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Transsylvanis S.

1540. oct. 16.

Utinam tot conventus, tot commutationes ac voluntatum vestrarum Euripi electionesque dominorum et vos ipsos et domos vestras in ultimam perniciem non adducant. Segesvarii Mailadum et Balassam, homines proscriptos, exules et crimine laesae majestatis reos actos, cervicibus vestris capitaneos imposuistis et tam libero regno perniciosissimos dominos praefecistis. Quid in regios vectigalium, salinarum, aurariarumque proventus et jura publica decrevistis, praetereo. Addidistis tamen his etiam honesta quaedam, perinde ac, ni fallor, horrido muro tectorium, ut aliquando malum, quod concepistis, celando radicaretis. Ad vos scribo, viri Transsylvani, qui nisi fomenta Mailado et Balassae ad facinora suppeditassetis, fo-

vissent una vobiscum, non foedavissent neque confodissent Transsylvaniam. Creastis vobis duces, armastis in vos tyrannos vestra vi, et cum turpi ac damnosa servitute libertatem commutastis, eoque jam potentiae vestris nominibus ac vestra authoritate processerunt, ut vos, quo velint, rapiant et impellant. Neque meminerunt, quid servaturos sese vobis sacramento receperunt, dum cupidinis conceptae fiant compotes, et hujus provinciae vestrarumque omnium potiantur dominatione. Nunc nova comitia XV kal. Novembris in oppido Vasarhel habenda vobis indixerunt. Credo, nova quaedam commenta excogitarunt, quibus reliquos quoque, qui restabant vestrorum ordinum, culpae ac reatui suo annectent. Verum agite, providete et rerum vestrarum sedulo finem expendite. Memineritis quid Mathiae regis tempore, ut vetustiores reges taceam, majores vestri pertulerint, quum in eum arma, commentitia persuasione Petri Ghereeb, vestri ea tempestate vaivodae susceperant et Transsylvania prohibere voluerant, quod eos se facilius contra regem suum concitaturum hostiliter jactaverat, quam in Turcas, aut in quosvis externos hostes. Quam ob rem nonne alii exilio, alii capite, alii bonis damnati? Nonne multi quadrifariam concisi, innumeri rotarum nexibus diffracti, et quidam palo suffixi, poenas exolverunt? nonne et nobilitatis aestimatione sunt imminuti? quae damnatio ad vos quoque demanavit, quum parricidae vestri ducentis aureis nummis a digna morte absolvebantur, ad LXV. talionem hanc sive hostimentum, quod vos homagium vocatis, Corvinus deduxit. Quod quidem et Joannes, si supervivebat, simili vestro crimine in regiam majestatem cum Mailado et Balassa commisso, ex aequo dividebat, ut aliquando

tandem proximiores effecti rusticis, desineretis in principes vestros hostiles motus machinari ac ciere, quandoquidem iterata in viris facinora, sapientum authoritate impunita esse non debent. Sed haec amicabiliter a me pro humanitate et prudentia vestra, quaeso, suscipite, quibus pauca quaedam addo, vobis avide intelligenda et mordicus observanda, donec totius regni Transsylvaniae membra in corpus et sanitatem redierint. In conventu primo post Joannis decessum, in quo Mailadum et Balassam capitaneos designastis, inter caetera statueratis: Ut fidelitas omnium communibus legatis reginae commendetur. Ut nemo interim regem alium nominet, eligat, declaret, nisi quem proceres Hungariae una congregati et antiquo jure usi erigerent. Ut duo ii capitanei bona sua in proscriptione amissa recuperare prius non aggrediantur, quam legati a regina redierint. Demum, ut jura libertatesque vestras praecipue tueantur, nec nisi contra exteros hostes arma induant. Et ad haec inviolabiliter servanda, nonne ipsi capitanei jurejurando sese vobis obstrinxerunt? Verum cui juramento, cui Deo, cui fidei eorum credidistis, quae tria dudum alias Joanni regi late temerarunt. Vix enim ab obsidione soluti, et vobis vestro consensu praelati, ne momenti quidem unius moram passi, neque exspectato oratorum reditu, promissis suis et vestra securitate contempta, reginae fidelitatem negare, novum regem vobis, novos sibi ipsis principatus meditari, omnibusque juramentis nihilipensis, bipartito discessere, bella mox inter vos, nullo externo hoste viso, movere, et nullo plebis nobilitatisque discrimine habito, decreta comitiorum confundere, omnium omnia perdere, omnia diripere, et in scelus vos omnes atque ad arma rapere

inceperunt. Sed quid vos deceat hoc statu vestro difficillimo, vobiscum maturo consilio reputate, quia, ut in proverbio est: et vecordes factum norunt. Non ignoratis vos, qui membrum dumtaxat sitis Hungariae, vestrum non esse regem aut principem statuere, sed statutum accipere, et eum observare, qui semel placuisset. In comitiis quoque Byrthalmensibus, postquam ita Mailado visa est fortuna arrisisse, quum periculum esset, mox agere caesari gratias pro hujus principatu, ne acceptasse tyrannum judicati fuissetis, decrevistis, vos intra spatium quinque mensium per legatos publicos certam voluntatem vestram significaturos, nemini interim aut principi aut factioso homini adhaerendo, permanendo tamen in fide reginae oblata. Si igitur seductione Mailadi in studia Ferdinandi, quod illum animi habere pro certo affirmatur, abibitis, ad quem ipsum abiisse dudum patet, quod a Transsylvaniae dominatione casurum sese cernit, cavete, ne inconstantia vestra Turcam in vos irritetis, neu probitati ac fidei vestrae derogetis. Exspectat enim a vobis, quae promisistis, nec vult vos ad Ferdinandum transire, neque Mailado, ut jam meditamini. subesse. Sed quicquid egeritis, date operam, et prospicite, ne gestam rem poenitudo consequatur, neque eventu, quem sapientes stultorum magistrum dixere, prudentiores efficiamini. Praecedat judicium poenitentiam, et gerendam rem consilium, quoniam aucto et inveterato malo sero pharmaca adhibentur. Porro, miror ego vos prudentes et vetusta nobilitate insignes viros, tales sequi duces, quod hucusque cum detrimento et honoris et facultatis vestrarum fecistis, qui CC. equites annuis stipendiis ex suo alere non possint, nisi censibus ac tributis, rapinisque vos et colo-

nos vestros juxta onerent. Neque animadvertitis, eos vestris nominibus praetexere sua scelera, dum se omnia regni decretis agere profitentur, adeo ut et infamia tota vestra est, Transsylvani, et quicquid inposterum ipsi poenarum luituri essent, omne in vos expendetur. Neque sum nescius, cupere vos eum regem obtinere, in quo firma et valida esset vestra protectio; quodque nec filius Joannis, nec Ferdinandus est, qui et Hungariam et Transsylvaniam satis tueri possent contra Turcam, utpote ille infans et solus, hic perpetuo vel de ipso imperatorio fratris nomine, ab imperatore Turcarum ob aemulationem tituli semper odio habitus. Verum quoniam nec odio Solymani in Ferdinandum regem quicquam addi possit, nec amori quantum intelligimus, erga filium Joannis, cujus favore atque amicitia nec solus, nec sine ope erit, quum suum, non Joannis filium appellet, huic vos adhaerere magis suadeo, cui Turca patrocinatur et paternum vel verius suum regnum donat, alioqui de vobis, deque vestra omni re actutum actum puto. Ego equidem neque nunc, neque posthac plura ad vos de his. Haec mea sententia, haec ratio, hoc institutum est. Quicquid in praesenti conventu aliter statueritis, vereor ne sicut Athenienses ad pacem decernendam pullis vestibus induti prodibant, ita vos quoque, simulac multis ac variis luctibus domos vestras, patriam vero damnis affeceritis, pro venia et gratia deprecaturos jam jam cerno. Sed ipsi videritis. Nos dolemus et ingemiscimus, quod una omnes perpetiemur et deplorabimus, quicquid isthaec comitia deliquerint. Vale. Albae Juliae Transsylvanae XVII. kal. Novembris MDXL.

LXXIII.

Izabella királynénak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Isabellae reginae I.

1540. oct. 18

Quanta calamitate et hoc regnum et nos omnes, ut moerores omittam, nunc afficimur, quanta item varietate voluntatum, et latrociniorum copia cuncta laborent, non est opus longis litteris explicare, quum res tota jam in luce omnium sit. Illud majestas tua sciat, nos hic omnes, qui partium filii tui censemur, multis obnoxios et ad praedam expositos esse, neque quod nostrae fidei esset, audere. Nihilominus quod ad me attinet, ego memor gratiae tuae in me singularis, dabo operam, ut nunquam, quoad possit, muneri meo desim, et ut semper illic sim, ubi si quid mea parvitas magnitudini tuae possit afferre, inservire fideliter valeam. Quod ad praesentes res attinet. Emericus Balassa, ut homo a fortuna compulsus, non adductus probitate, adjunxit se Bornemyzae, tuae majestatis nomine, quia spoliatissimus est, et a collega prorsus derelictus ac deceptus. Mailadus oppugnat arcem Gewrgeyn, sed nihil efficit. Caeterum accepta defectione Balassae et adventu oratoris tui Emerici Bebeck, qui jam Colosvarium venit, diem comitiorum, quae hodierno die haberi debebant, ad incertum distulit diem, quandoquidem diceret, fratres et amicos suos, quos ex Hungaria exspectat, nondum advenisse. Puto hos esse Nadasdium et quosdam alios ejus farinae homines, quos

omnino cum copiis non parvis in Transsylvaniam venisse, dudum audiveramus. Sed an venient, ut primos rumores, nemo affirmat. Verum si venerint, res Transsylvanae turbulentiores et inconstantiores futuras existimo, praesertim quod et seditiosi litteris creberrimis Ferdinandi regis sollicitantur. Quare necessarium esset, ut huic pesti Mailadi obicem poneres, mox unum ex partium tuarum proceribus, virum, qui et justus et bellicosus haberetur, regni procuratorem declarando si vaivodam nominare nolles, eumque quam celerrime, cum praesidiis et plena authoritate mitteres in Transsylvaniam, quod multi boni cupiunt, ut regnum hoc tam diu, tamque dubie non fluctuet, ipsique habeant ducem, penes quem audeant et loqui et agere, quod in tribus exactis comitiis nemini licuit, quippe quod penitus orphani et soli sumus. Bornemyza autem cum iis, qui secum sunt, strenue profecto et fideliter se gerit, et multum evehit tueturque nomen authoritatemque majestatis tuae, sed majore manu ac majore quodam respectu opus est, et quidem maturrime, quum gens haec Turni praesentia urgeri exigit. Quod si majestas tua rem acriter complexa fuerit, ad authoritatem patris tui serenissimi, ad caesaris Turcarum opem et suffragium, quod filio tuo pollicetur, proculdubio omnes Transsylvaniae ordines reliquusque populus ad te, utpote ad matrem filii, hungaro genere procreati, et nati in Budensi regia, quod paucis hactenus Hungariae regibus contigit, inclinabunt, nimirum XIII. jam annorum clades calamitatesque ob malorum factiones pertaesi. Vale. XV. kal. Novembris MDXL. Albae Juliae Transsylvanae.*)

---

*) Verancsicsnak 1541—1543-ban kelt levelei vagy lappangnak még, vagy elvesztek.

LXXIV.

Boner Szeverinnek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Severino Bonero S.

1544. aug. 20. Quod nummum aureorum CXXV. restitutionem longius extraxerim, multae fuerunt causae, quas ab hoc meo germano fratre Michaele Wrancio plane cognosces. Tu igitur, quod imprimis ego, vel potius necessitudo nostra postulat, dilationem hanc meam boni consulas, nec eam vitio mihi vertas vehementer oro, quum et regibus et viris majoribus, quam ipse sim, saepe multa praeter opinionem succedant, iis praesertim, qui tum alieni juris sunt, tum in regionibus, armis infectis, et impunitate ac malorum licentia distractis degunt. Verum postquam me quoque, ut hominem, vota fefellerunt, nunc tandem quos aureos ipse per me redditurum putabam, eos tibi per fratrem omnes, et quidem hungaros misi, ne mea forsan apud tantum amicum existimatio labefactaretur, quum jam meruerit reprehensionem. Illos etiam, quos Gaspari mercatori italo debebam circiter XXXII., pro quibus Joannes filius tuus fidejusserat, misi, eique satisfaciendum curavi. Caeterum quum parens meus in Dalmatia cum ultimis jam annis conflictatur, per omnes, si fas est dicere, Deos ac sacra rogavit me, ut saltem alter ex nobis domum concederet, et ejus invalidam ac jam capularem senectutem consolaretur, et domus curam assumeret. Ego quia a regina divelli ne-

queo, nec laboranti regno, in quo nonnihil creveram, deesse debeo, fratrem ei concessi, quem adjutum omnibus rebus, quibus per meam facultatem licuit, istuc dimisi, ut et reginae Poloniae Bonae gratia, et auxilio tuo, consequuta a rege Romanorum publica fide, securus cum aliqua bonorum virorum seu mercatorum societate Venetias proficiscatur. Aurea insuper atque argentea vasa mea omnia, usque ad minimam scobem quaecunque apud te anno superiore reposueram, illi concredidi, commisique ut in auream pecuniam citra damnum, cum lucro tamen commutet, idque solius ope, consilio ac opera tua, ne ipse, ejusmodi negociationum imperitus, decipiatur. Quae omnia si abs te impetraro, a quo nihil unquam mihi est negatum et universa sua semper oblata, ad reliqua certe tua erga me benevolentiae argumenta, hoc et re quidem beneficium, et mea aestimatione ac judicio immortale accedet monumentum, quod non veneratione solum, sed religione quadam sempiterna erit mihi colendum, postquam nec habendo gratias satis sim, nec referendo par. Urgens autem et pluribus verbis haec mea instructa petitio non signum diffidentiae videri debet, sed fraterni amoris credi testificatio, quem tibi commendatum iri cupio, ut jam pridem me habes. Et in hoc si quid plus audaciae et fiduciae apud te mihi arrogo quam officiorum reposuerim, magnitudini tuae tribuas, qui benemerendo de omnibus pene mortalibus, omnes non tam acceptorum debitores haberi velis, quam humanitatis tuae malis amantes. Reliqua ipse frater, sive publica sive privata desiderabis, copiose referet, cui ut credas faxo fidem. Vale. Albae Juliae Transsylvanae. XIII. kal. Septembris MDXLIIII.

LXXV.

Boner Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Bonero S.

1544. aug. 20. Debebam equidem, ut par erat, mi Joannes, et tuae et parentis tui summi viri quum amicitiae, tum munificentiae, qua proximo anno Cracovia me abeuntem prosequuti estis, maturius respondere, mutuum aureorum CXXV. nummum, uti eram pollicitus, tempori restituendo. Verum quum multa intercesserunt, propter quae huic debito minus ingenue ad praescriptum meum satisfecerim, quemadmodum ab hoc meo fratre Michaele intelliges, oro te, ut excusatum me velis. Nam hujusce dilationis causa non oblivio, non incuria, neque quod solvere non fuissem, exstitit. Sed cogitatione legationis Polonicae, quam mihi ii dynastae nostri dudum jam imposuerant, diutius tractus, ipsum me memoratos aureos numeraturum sperabam, quod existimarem per nullius manus securius ad creditorem transituros, quam per meas, veritus, ne alienis per tot raptorum latibula deportati, magis expalluissent. Igitur etsi, quando ad humanam mentem reflecto, valde suspicer, ne quid existimationi ac fidei meae ex hoc tum apud te, tum apud parentem tuum deteratur, quum nec culpa potest vacare, qui fregit promissum, nec suspicione, qui distulit: tamen quum

te divino praeditum, et ad claritudinem susceptum esse sciam propter raras virtutes tuas, cum imagine patris tibi accessorias, mihique multis rationibus et experimentis cognitas, certus sum, me in amicitia tua verum amorem et justitiam solidam reperturum. Justitiam, quod humana errore carere non negabis; amorem, quod vindictae veniam antepones, et tanto erga me fies benevolentior, quanto declarandi amoris tui ansas plures a me susceperis, certabisque pro victoria, utrique nostrum in mutuo dilectionis certamine constituta. Haec fortasse verbosa et affectatius scripta esse judicabis; judices licet, non offendar, neque enim falleris judicio tuo, quandoquidem constare tibi, genus me Boneriorum singulariter amare, vehementer cupio, hincque est, quod quum aut ad te, aut ad parentem tuum scribam, nunquam sine affectu scribam, totusque in epistolam incumbo, ut si fieri posset, ei me ipsum includerem, quo tecum esse possem. Sed id postquam nequit, effigio saltem, et ad te vota ac voluntatem meam pro medo. Quod ad aureos attinet. Restitutio illorum verbis jam non eget. En tibi veniunt pleno numero, eosque is meus reddet frater, idemque officia mea offeret, quod peccarim, expurgabit, et mutuam necessitudinem nostram, si qua ex parte procubuisset, quod mea culpa contigit, si contigit, curabit erigendam. His subjunget nova, seu privata mea, seu regni publica desiderabuntur. Nam his kal. Aug. Thordae non exigui momenti habuimus comitia, quae Heremitam nostrum novis auspiciis summum et solum dominum, ac judicem tam Transsylvanis, quam Hungaris, quos Tibiscus ad Transsylvaniam claudit, decreverunt. Pro titulo adhuc laboratur, qui non invenitur, quum proregis, quo hactenus

usus est, sat esse non videbatur. Gubernatoris, aemulatione Joannis Corvini, quem nunquam assequetur, optaret, sed is a regina aegre conceditur. Per populos non staret, quo prorsus daretur, postquam dudum potentia ac dominatione regios etiam titulos eum excessisse vident. Comiti Themesiensi adjectum novi nihil, libera tantum facta vetera, (quod mirifice ridetur) et ob id fortasse major aucta indignatio ac simultas, quod initia prae se ferunt, quandoquidem ex comitiis abire voluerit, ne fine quidem exspectato. Set et haec et alia largius frater, quem ut tuo, immo communi parenti commendavi, ita tibi quoque ut fratri fratrem frater credidi. De auro atque argento meo quid velim, ex litteris cognoscas. Vale. Albae XIII. kal. Septembris*) 1544.

---

*) Az eredetiben ‚Augusti' tollhibából, melyet a következő levelekben is kiigazítottam.

LXXVI.

Marino Caballónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Marino Caballo S.

Nullas me hactenus ad te dedisse litteras, longa 1544. aug. 20. viarum spatia, quae nos disjungunt, praebuere causam. In hoc enim Transsylvaniae recessu, velut in extremo orbis terrarum angulo circumscripti, non aliter sumus, quam si ab omnium nationum sequestrati consuetudine, solis Getis, Dacisque adjuncti, immo iis etiam immixti, Turcis vero interclusi, lateremus. Quo fit, ut nec ad amicos, nec ad propinquos litteras dare, nedum aliis in rebus erga eosdem officia exercere possimus. Ignoscas igitur, et hanc cessationem ab inopia opportunitatum, non a voluntate profectam arbitrare. Caeterum, quum hunc fratrem meum Michaelem domum ad paterni senii curam et posteritati studendum, exactis jam in aula Hungarica et adolescentiae et juventutis annis, virum dimisi, majore cum subsidio munire ac prosequi non potui, quam si amicos meos, quos in isto clarissimae reipublicae Venetae patriciorum ordine mihi paravi, secum communicarem. Etenim quum et thesauri mei amici sunt, quibus Cyrum quoque Persarum regem imprimis studuisse narrant historiae, et inter mortales, praeter hunc, quocum eos partiri facile possim, habeam neminem, quid in mea supellectile aut pretiosius occurrere, aut meo judicio majus esse potuisset, quo tam charum fratrem sine

omni parsimonia ditare atque honestare debuissem, equidem non inveni. Sed quaeris jam, quinam ii? Tu unus et primus, qui posterius mihi legatione Bohemica anni proximi amicus factus, ad Leonardum Venerium et Carolum Capellum, senatores omni patricia celebritate ac eminentia claros tertius accessisti. Verum quid unum, quid primum, quid tertium dixi? quum nemo vestrum secundus, nemo tertius primo est, nec alius aut postremus uni, quippe quos omnes et sua ipsorum virtus, nobilitas ac magnitudo aequaliter primos facit, et amor meus omnes unum. Suscipite itaque amplissimi viri, et singulares amici, fratrem hunc meum in gratiam vestram, et mei loco s nondum vobis exciderim, quod malum in amicis etiam diuturna absentia solet interdum generare, pro mea fiducia et vestra humanitate complectimini, tu imprimis, cui et memoria nostri recens est relicta, et qui eo studio delectaris, nondum adhuc fortasse totus reipublicae curam aggressus, ad quod is omnia illa afferet, quae a me Pragae scire cupiebas. Est enim non illiteratus, nec sine judicio cosmographiae, quantoque tibi consuetudine erit notior, tanto familiaritate fiet charior, quum et mores habet ingenuos, et doctis adhaerere, eosque pene adorare, quum venerasse parum putet, consuevit. Sed haec tametsi nimis audacter, et quia de fratre, etiam impudenter, tu tamen Marine pro tua prudentia cognosce, et pro modestia judica. Caeterum si secus invenies, amori aliud, aliud indulgentiae, totum fraterno desiderio imputes, qui quum qualem fratrem fore cupiam, et jam esse asseram, Cyrum Xenophontis egregie reddidi. Vale. Albae Juliae XIII. kal. Sept. 1544.

LXXVII.

Venerius Lénárdnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Leonardo Venerio S.

Si jam forte venissem tibi in oblivionem, Leo- 1544. aug. 20. narde Veneri, proculdubio dolerem, quod a tanto viro et amico excidissem. Nec alioqui potest secus esse, quum in promptu ratio sit, si annos plus quam XII. commemoravero, qui nobis mutuo silentio, et sine vel unius litterulae usu consumpti sunt. Quam rem, immo quod damnum nisi correxero, mihi potissimum, quod aequo animo fateor, ascribi debebit, vereborque, ne levis dicar, quum melius conciliare quam conservare amicum sciverim et quidem talem, cujus accessione non fortiorem ac tutiorem solum, sed et meliorem me ac meos putarim, sumque apud multos non aliter, quam de numine quodam adepto gloriatus. Igitur ut hac mea correctione tu quoque exciteris, fratri huic meo Michaeli in patriam ad oeconomicam domi capessendam redeunti injunxi, ut et mea vetera apud te officia refricet et assidua servitute novis det operam, meque, quoad ejus fieri poterit, in pristina ac perpetua gratia tua contineat. Illum itaque, mi Leonarde, jam pridem familiae meae Maecenas addicte, pro tua in omnes integritate ac humanitate singulari, colligere et complecti non graveris. Habebis enim clientem, a quo nec professio tua nec magnitudo refugiet, et qui meos etiam in te colendo atque obser-

vando diutinos defectus infatigabili sedulitate curabit restituendos. Nova alia non sunt, nisi quod indies Turcae succumbimus. Vale. Albae XIII. kal. Sept. 1544.

LXXVIII.

Capelli Károlynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Carolo Capello S.

1544. aug. 20.

Michaelem hunc fratrem meum, tibi qui has reddet litteras, in patriam dimisi, longa et pene molesta parentis flagitatione compulsus, quod et senium ultimum et gravioris aegritudinis accessionem quereretur. Eum etsi superioribus annis proficiscentem Romam, satis accurate commendaveram, ut tanquam peregrino non deesset, nunc tamen, quum ita istuc venit, ut rem familiarem procurandam ineat, et Deos penitus in avitico lare jam colat, longe diligentiore studio commendandum duco; idque, quantum in me esset, si ad novum, non ad veterem amicum scriberem, proculdubio justo apparatu verborum ac sententiarum facere adniterer: verum quia diu est, quod hac inter nos insinuationes transactae sint, supervacaneum existimo pluribus argumentis toties iterare commendationes, ne identidem novicii in amicitiam redire videamur, praesertim quum de tua in me benevolentia, esto, quod non solum siluissem annos XII., sed si Epimenidis somnum dormissem, nihil dubitem, tantum tibi

quum de mea fiducia testificor, tum de constantia tua mihi polliceor. Facessat itaque, mi Carole, omnis declaratio commendationis, et meum fratrem simulac exceperis, etiam agnoscas velim ac tuum habeto. Qui quidem si tuus fuerit, satis commendabitur, meaque cumulate intelligetur voluntas. Vale. Albae XIII. kal. Sept. 1544.

LXXIX.

Surianus Andrásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Suriano S.

Quod a Pragensi nostro superioris anni congressu nihil ad te litterarum dederim, eaedem causae, quae ne ad Marinum quoque Cabellum quicquam scripserim, obstitere. Nec putes, id me aut incuria aut oblivione commisisse, quum te aeque atque ipsum Marinum memoria teneo amoque, ut charissimos, jocundissimos, suavissimos, ac immo etiam (ardentius non possum) ut soleam unicos. Amice itaque interpreteris oro, quicquid cessatum est ab officio, meque non tam pro amore nostro mutuo indulgenter, quam pro necessitate merito ducas excusandum. Quoniam si me, dum una fuimus, bene, ut dici solet, intus et incute perspexisti, quod vel ex uno alloquio facile potuisti, quum genius meus non recessu, non latebris praecordiorum occultatur, sed in vultu, obviis omnibus expositum sese ac monstrabilem praebet: haud dubie cogno-

1544. aug. 2.

visti, sodalitiorum me consuetudinem plurimi facere, et amicitias bonorum eruditorumque non indiligenter ambire. Quare si quid ex usu, qui commendat necessitudines, immo et confirmat, ademptum esse nostrae videretur, quod quamvis ne suspicemur quidem, cavendum moneam, si non est collapsa: en tamen reparatorem ejus fratrem hunc meum Michaelem mitto, in quo non dimidium mei, sed me totum, sed utrumque potius nostrum habebis, ejusque praesenti consuetudine absentis meae desiderium tuum explere non insuaviter poteris, quandoquidem et litteras novit, et non incivilis esse studet. Quoniam autem senticosum aulicae genus vitae reliquit et domesticae nihilo sane minus laboriosum ingreditur, eum tibi commendo, idque paucis, nempe ut me, quem maxime amari abs te confido.

Transsylvaniae tabulam chorographicam, per Joannem Hontherum, hominem doctum, a Saxonibus Transsylvanis oriundum, factam, quam a me petieras, misi ad te, nullis coloribus distinctam, quandoquidem ejusmodi non reperiantur propter authoris retractationem, qui omnes in manum quae veniunt supprimit, utpote primum opus, nec ita absolutum, ut publicum non expavescat. Verum meliores auctioresque cudere dicitur, quas si quando emiserit, curabo ex eis ad te mitti plura exemplaria. Si quid aliud erit, quod ex hac ruditate Scythica optare poteris, fac ut sciam; caeterum de diligentia mea nihil dubites, tametsi mihi, quod hic placeat, a XXVII. anno nihil inveni. De Moldaviae situ, quod ad te describi voluisti, viva vox fratris praestabit. Verum enimvero propter barbariem Geticam, uti miser Ovidius in elegiis suis de Ponto queritatur, insigne nihil habet, quod oppido miror, quum in Transsylvania passim ubique, in Transal-

pina circa ripas dumtaxat Istri Romanarum visuntur vestigia sive inscriptionum, sive numismatum, sive urbicorum aedificiorum et imaginum tam hominum, quam (ut vetustas erat solita) Deorum immortalium, praesertim Mercurii, Apollinis et Jovis Optimi Maximi, quibus et domus mea spectabilior est, ut votiva praetermittam simulacra, requires testimonia. (?) In Moldavia ne umbra quidem apparet, quantum tam ab indigenis, quam ab exteris, qui lustrarunt eam provinciam, rescire potui. Quod dubio procul indicio est, Romanis eas terras aut brevi tempore dubia possessione fuisse habitas, quia ultra Daciam signa non multum protulerunt, aut indignam existimaverunt, in qua magnitudinis suae monumenta collocassent. Sed de his plus, quam institueram, currenti intentus calamo, quod quidem largius et id genus plura frater tibi non indicabit modo, verum etiam enarrabit. Vale. Albae Juliae. XIII. kalendis Sept. MDXLIIII.

LXXX.

Lucius Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Lucio S.

1544. aug 20.

Quoniam ego te semper a teneris et amavi et colui, patriae nostrae talium virorum, atque adeo antistitum (comples enim precipuorum numerum) velut laetissimum quendam proventum gratulatus: veniens istuc frater meus Michael, praecepi illi diligenter, ut te meo nomine veneranter salutato, reliquis etiam omnibus partibus meis officiose perfungatur, quas ipse saepius, et quidem libenter obirem, si saepius modo, aut saepe tantum, aut saltem aliquando invisendi vos daretur mihi facultas Etenim nihil certe interdum aeque desidero, ac patriae suavissimum solum, esto, quod petricosum ac tenue sit, revisere, et cum ejusmodi conterraneis ac gentilibus meis, qualem (ut caeteros non commemorem ne affectui magis succumbam) in te meditor. Et si mihi credas, profecto non mediocriter fratri meo invideo, impendio etiam fortunae meae malum imprecor, praesertim quod et hic jam de toto, ut dici solet, reliquo statu periclitamur, et fata portum non ostendunt alium, quam dubium, illumque laboriosum et angustum, propter ingravescentis aetatis conditionem, quae ad acquirendum et inepta et imbecilla est. Sed pro his in Dominum jactandus est cogitatus. Ego vero interim ubicunque et quacunque fortuna vehar, totus tuus ero, tuique ita recorda-

bor ut mei. Abs te vicissim praeter amorem et benevolentiam solitam nihil expeto. Reliqua frater copiosius prosequetur, quem tibi semper commendo ut semper obtuli. Vale. Albae XIII. kal. Sept. 1544.

LXXXI.

Brener Mártonnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Martino Brenero S.

Proficiscens is frater meus Venetias, quem perfunctum aulae laboribus, patri patriaeque reddidi, iter per Austriam est habiturus. Quoniam autem mihi tecum pervetus est amicitia, eaque pene intermissa, quod nulla vicissitudine non litterarum modo, sed ne commemoratione quidem ulla eam fovere, nedum excolere curavimus: haud mediocriter utrumque nostrum debere accusari judicarem, si et ego mox ad corrigendam hanc negligentiam animum non appellerem, et tu excitatus officio meo, officio respondere aspernaveris. Quod igitur ad me attinet, ipsum meum fratrem Viennam intrare, te convenire ac meo nomine apud absentem amicum absentis munus jussi obire diligenter, plurima inprimis salute eidem dicta. Verum putavi solam salutationem fore nonnihil jejunam quod diu invicem tacuerimus, si litterarum societate caruisset. Et quamquam salutis ac felicitatis precatio, obsequiorumque oblatio multa officia atque amo-

1544 aug. 20.

ris argumenta videatur comprehendere, litterae tamen nescio quid majus praestant, quum verborum plerumque tam diu meminimus, donec auscultamus, in litteris apparentia et velut viva absentum simulacra etiam intuemur, contemplantes in his nomen, manum, signum, ipsam denique scribentis voluntatem erga nos, tamquam veram imaginem sub hoc perinde ac syngrapho nobis transmissam. En igitur cum salutatione litteras quoque, et cum litteris me ipsum accipe, qui te propter virtutes tuas sic amat, ut et colere nunquam gravabitur, si par reddideris. Nam et haec a me inpraesentia ita habeto, ut amoris in te mei et praesentis et futuri symbolum, quod lituram non admittet. Proinde lucubrationes tuae in Hungarorum chronicas, mirifice mihi probantur, tuque inprimis, qui vigilias atque industriam tuam sic collocas, ut et patriam ab ignoratione vindicas, et te ipsum immortalitati commendas. Verum quum et tabulam Hungariae chorographicam et alia quaedam opera Antonii Bonfinii, optima de hac gente tua meriti, chalcographus tuus Robertus Vinterus tua et impensa et studio, non minus renata, quam illustrata litteratis pollicetur; oro te, si sunt in luce, fac me eorum participem, et tua etiam propria quae jam dudum volitant per ora virum, mecum communices. Ad haec si litteras quoque frequentes ad me dabis, vel saltem tot, quot ad Mathiam musicum soles, qui nunc apud me habet rem perdifficilem cum febribus, promitto frequentiores, quod quia usu comprobabo, verbum non addam. Me tantum cum Mathia nostro tibi commendo. Vale. Albae Juliae XIII. kal. Sept. MDXLIIII.

LXXXII.

Tiraboschi Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Mario Tirabusco S. D.

Quoniam diu est, quod de salute ac vita nostra 1541. aug 20. mutua nullos invicem nec misimus nec accepimus nuncios, proculdubio exemptum te humanis rebus, nempe ut hominem, hac conditione natum, ego facile judicavi, quod idem de me tu facillime potuisti, si expendisti pericula et dubium regni hujus statum, quod non jam regnum, sed regni aut umbra aut fimbriae rectius dici debent *). Verum scito, me incolumem esse et non aliter memorem, quam semper; nec minus, quam quum prope fui; cupidior autem tanto sum, quanto magis absum. Quod ipsum si tibi accidit, pariter amamus. Caeterum si ex sententia omnia succedunt, et hac luce frueris feliciter, equidem gaudeo, precorque, una quam diutissime et felicissime fratris mei interdum memoriam faciendo, vel saltem cum hoc fratre meo Michaele Wrancio, quem quum in patriam dimisissem, jussi ad te, omnibus privatis negotiis pauxillum repositis, proficisci, tibique omnia, quae de me scire optatis, referre. Excipe itaque illum, mi Mari, ut me soles et velles, ac ejus praesentia meam absentiam consoleris ac repares. Vale. Albae Juliae XIII. kal. Septembris MDXLIV.

---

*) A levél következő része, — kivágva lévén az eredetiből, — Katonából.

LXXXIII.

Zanni Andrásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Zanno S.

1544. aug 20. Ajunt periti, amicitias agris comparari, et recte quidem mea quoque sententia. Nam ut agri, si statis temporibus non colantur, dumis, spinis, serpentibus demum obsolescunt, postea etiam, mutato nomine, ferisque acceptis, in silvas convertuntur: ita et amicitiae nisi assidue exerceantur rebus honestis, placidis, gratis, utilibus, novisque idemtidem officiis, praesentia atque absentia partium promiscue habita, et litteris nunciisque compensata noventur, augeantur, foveantur, suspicione primum cur*) id fiat, dein investigatione causarum, plerumque flaccescunt et interdum etiam omittuntur, praesertim quas morum ingenuitas studiorumque similitudo non conciliavit, et sola commoda metiuntur. His enim exhaustis, et patefactis alterius partis sordibus, jam a simultate et suspicionibus ad jurgia et convicia perinde atque ad serpentes, ut metaphorice dicam, et feras deveniretur, frustra et his novus aliquis Hercules, malorum depulsor inclamatur, et illis Umbro ille magus, aut Eristo accersitur, quibus excantandis, ne ipsi quidem Marsi cum Neuris possent sufficere, adeo frequens revocandae amicitiae necessitas damnosa est. Eamque non aliter insuavem ad finem reddi puto, quam repetita vesci crambe. Id nobis, Andrea, ne re evenisse videatur,

*) Eddig Katonából.

quod temporis ac locorum conditione accidit, neu fides mea, cui facultas defuit, voluntate atque consilio periclitasse insimuletur, oblata nunc occasione corrigendi admissi, minime volui committere, quin hoc silentium pene inhumanum (sic ego mecum pro amicis soleo) rumperem. Tu utcunque de tuo statueris, liberum esto. Quare etsi, quantum et amicitiae nostrae intermissus usus exigit, et diuturni temporis, quod nobis sine ulla vicissitudine litterarum abiit, ratio postulat, equidem longiorem epistolam dare ad te deberem, tamen quum frater meus istuc venit, hic apud te tam epistolae longioris munus, quam vices omnium meorum officiorum, quae hactenus utrinque sunt desiderata, obibit, exequeturque coram diligenter. Sed dices: amabo, cur te sic, Antoni, contrahas, aut cur omnia tute non ad Andream scribas, quae referri velis, quum litteras velut viva absentum pignora, viventumque testimonia tum intueri, tum pro ipsis, quos habemus charissimos, complecti et exosculari soleamus? Id ita esse, suavissime Andrea, non inficior, meque, ut ingenue jam fassus sum, contraxi, non quod laborem subterfugiam, aut quod non amem, sed quod potius ardenter amem, et ideo necessario contraxi, quandoquidem ad affectum meum erga te, tuaeque jocundissimae consuetudinis desiderium tibi explicandum, postquam ipse per me non possum, non hercle epistola, non internuncio, sed libro, aut mea praesentia, mihi crede, opus esset. Porro ut senatorias virtutes tuas, Veneta non indignas claritudine, praeteream, quas quidem securius est apud notos tantum attingere, quam recensere, tanto me amore, benevolentia, studio eoque peculiari semper es prosequutus, tantum item ego in te fiduciae posueram, ut, si me in discrimen

fati aliqua intemperies rapuisset, a Polluce Theseoque fidem non desiderassem. Tibi itaque solito more offero me, meamque erga te amicitiam, detersis ei omnibus lapsis, ac desidia dempta, integratam hac epistola reddo, nec minus jam imposterum negotiosam, suorumque officiorum memorem fore polliceor, quantum jus postulat, si modo, ut hic erepta est ab otio, sic istic eruatur a silentio. Vale. Albae. XIII. kal. Sept. MDXLIIII.

LXXXIV.

Verancsics Antalnak Capelli Károly.

Clarissimo et doctissimo viro domino Antonio Vurancio, plurimum reverendo et dignissimo, praeposito Transsylvano, domino et amico praecipue observando. Albae Juliae.

Clarissimo ac doctissimo viro Antonio Vurancio Carolus Capellius eques S. P. D.

1544. nov. 28.

Litterae, quas abs te mihi reddidit ornatissimus juvenis, frater tuus, jucundissimae fuere, et quoniam doctae, et quoniam tui pristini ergame amoris plenae sunt. Sed et jucundior fuit ejus sermo, quo mirifice subsequutus est ipsarum litterarum officium, et tuam benevolentiam et humanitatem. Equidem mi Vuranci, fratrem tuum, ut fratrem meum germanum laetus vidi et accepi: neque ulla in re ei et tuorum cuique unquam deero omni studio, omni officio et omni opera mea. Tu, ut facis, memor sis nostri, et me isti serenissimae reginae iterum atque iterum commendare velis. Et haec lege, quae nu-

per scripsimus ad sanctissimum patrem Paulum III. Pontificem Maximum, et in dies a me plura pro republica Christiana exspecta. Venetiis IIII. kal. Decembris MDXLIIII.

LXXXV.

Verancsics Antalnak Utissenics György.

Reverendo domino Antonio Wrancio praeposito ecclesiae Albensis Transsylvanae, amico honorando. 1545.

Reverende domine et amice honorande. Salutem et mei plurimam commendationem. Jucundae mihi fuerunt litterae dominationis vestrae reverendae, tum propter novarum rerum significationem, tum vero quod nomen meum in historiis, quas texere coepit, illustrare conetur, pro quo suo in me officio memorem me dominatio vestra reverenda cognoscet atque gratum. Cumque nec patria nec parentes mei dominationi vestrae reverendae ignoti essent, brevi tamen narratione rem omnem litteris istis complecti volui. Ex nobili et antiqua stirpe dominorum Croatiae sum oriundus, patria mihi est Kamychacz insigni arce celebris. Patrem habui Gregorium Wthysenith, matrem vero Annam, ex veteri et nobili prosapia Marthynusevitiorum *) natam. Octo igitur annos natus cum essem, relicta patria, in amplissimam curiam illustrissimi Joannis

---

*) A hibás másolat, melyből Pray e levelet az Annalisokban kiadta, Marthynusevitiorum helyett irja : Venetorum : minek eredményeül, Praytól napjainkig megannyian kik a magyar történelem e férfiáról irtunk, anyját velenczeinek mondtuk. Anyja horvát volt, mint atyja, még pedig a Martinuzevicsok nemzetségéből, s innen a ‚Martinuzius' név, melyen a fiú, úgy látszik, magát örömestebb neveztette, mint atyjáén. Miért ? az Verancsicsnak e helyéből világlik ki : ‚Natus est Georgius Utissenics in Croatia ex vetere nationis ejus prosapia. Nobile utrius-

Corvini ducis deductus sum, ab eoque in Transsylvaniam in arcem suam Hunyad missus, ubi tredecim annos non sine magna curialium miseria versatus sum, ad vigesimum vero aetatis annum in aulam honestissimam illustris ac magnificae dominae matris serenissimi quondam principis mei domini Joannis regis Hungariae me contuli. Quumque aulica vita mihi displicere coepisset, religionem Heremitarum ingressus, quatuor annos in ordine eorum, qui sine litteris erant, vixi; posteaquam vero in litteris, opera cujusdam pii et eruditi heremitae profecissem, susceptis sacris ordinibus sacerdotii, non sine authoritate aliquot monasteriis praefui. Pater dum fortiter pro paria dimicaret, manu Turcarum occubuit; tres autem habebam fratres, iisdem natos parentibus: Nicolaum, hominem in re militari non extremum; alterum, Mathiam, opinione omnium non infeliciter in litteris versatum, qui ambo naturali morte exstincti sunt; tertium, Jacobum, hominem militarem, et qui non parvum specimen virtutis suae edidisset. Quum enim Nandoralba ab imperatore Turcarum anno Domini 1521. obsessa, oppugnaretur graviter, praecipua huic turris, Kewles quam lingua nostra vocant, pro ejus statione cesserat, ubi cum moenia pulveribus bombardarum eversa essent, asseribus tantum levissimis, unde medius ipse exstaret, ruinae locum obduxerat: tanta tamen in eo erat virtus, ea animi praesentia, ut cum nec loco cederet, magnamque cladem lancea versa-

---

que parentis et juxta vetustum genus, sed maternum clarius. Mater fuit Anna, rara in tota Croatia commendatione foemina, summo loco ex Martinuseviorum gente orta'. Tudniillik a Martinuzevics család egyike volt a főbbeknek Horvátországban, az Utissenicsok pedig a kisebbekhez tartoztak.

tili hostibus ex eo loco daret, pixidis tandem ictu interiret. Itaque Ludovico rege in clade Mohachiensi exstincto, cum Joannes rex in regem Hungariae suffragio omnium ordinum regni enunciatus esset, Ferdinandique exercitu regia Budensi pulsus ac ad oppidum Zyna profligatus esset, vocatus sum a rege ex monasterio Laad, ut res quasdam suas preciosas mihi ad asservandum daret, quas recipere recusavi. Deinde rex Joannes desertus a suis in Poloniam profectus est; ultro in Poloniam usque eum sequutus, terque ex Polonia iter pedibus, causa regis in Ungariam confeci, regis inopiam ex liberalitate dominorum Ungariae sustentans, adeoque ex dominis Ungariae, inter quos primi nominis viri erant, Jacobus de Tharnalia, Stephanus Bathory de Somlyo, Paulus Arthandy et alii multi, perduxeram, *ut* fidem Joannis regis sequuti, ex Ungaria officii gratia in Poloniam ad regem venirent, et regi in Ungariam iterum adventanti ad terminos usque Ungariae, honorifice eum excepturi, parato exercitu obviam ire non dubitarent. Caeteris vero rebus omnibus, quae subsequutae sunt, dominatio vestra reverenda non solum interfuit verum etiam praefuit, ut existimem, nec longa nec brevi narratione ad hanc rem cognoscendam opus esse. Libellum vero recens editum et vidi libenter et legi jucundissime, omniaque illa exemplaria statim amicis distribuenda curavi. Dominationem vestram reverendam bene valere opto. Waradini sabbato ante dominicam Reminiscere, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto. Frater Georgius episcopus Varadiensis, thesaurarius, locumtenens et judex generalis.*)

---

*) Faustus kezével: Fratris Georgii vita.

LXXXVI.

Capelli Károlynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Carolo Capellio, patricio Veneto, equiti et proregi Cypri S. D.

1546 jun. 20. Ingens et insignis tua, Carole, humanitas, amorque in me singularis facit, ut ubicunque gentium existam, tui semper et amanter et honeste meminerim, nihilque aut cupidius requiram, aut urgeam pertinacius, quam ut indies magis ac magis in amicitia tua confirmari possim, sciens istam tuam erga me voluntatem non vulgarem esse, neque quam in familiaribus officiis communem vocamus, sed peculiarem quendam affectum et dilectionem plus quam consanguineam. Scito igitur, me ex Galliis incolumem Venetias rediisse, et hoc biduo, publicis rebus exigentibus, in Transsylvaniam promoturum. Omnia in eo regno mihi non omnino inprospere successerunt, nostraeque factioni, fortasse etiam adversae, brevi idque facile consultum iri sperarem, si odia sua duo principes ad catastrophen venire jam aliquando paterentur. Mira varietate et novae ordiuntur inter eos tragoediae, et iterantur veteres, quantoque propius interdum votorum suorum possessionem accessisse al-

ter existimetur, tanto alter altius sese proripit. Et quid? Nullus quidem Proteus, nullus chamaeleon, aut polypus tam varius esse assuevit, quam horum inconstantes actiones et commercia malefida, falsa, fallacia. Imperatori paulo ante omnia spondebat fortuna felicia; Gallo secus omnia; quique jam fere impulsus esse vel solius Angli molestia videbatur, facta nunc cum eodem, ut creditur, concordia, Germaniaque non respondente votis caesaris, non aliter coepit Gallus assurgere quam si semper prospero rerum cursu esset usurus. Caesarem jam alii in Italiam propter Africanam expeditionem venire ajunt, alii in Belgicum redire nunciant, impedimenta tantae paci moliturum. Gallum vicissim afferunt, velle movere omnem lapidem, ut in amicitia Anglum retineat, quem quidem recuperata aliqua parte pecuniae, ad Piccardicum bellum impensae, sine dubio a Gallo non recessurum arbitrantur, quum in his, quae cum imperatore illi intercesserant, minus sit ei satisfactum. Et si hanc telam Germaniae quosdam principes dicemus texere, forte non fallemur. Timent enim caesaris magnitudinem, et quod nimis aperte tuetur partes Romani Pontificis, etiam aversantur, atque utinam tot eorum conventus arma non excitent, uti jam nonnihil crepitare rumor murmurat. Res Transsylvana in periculum nuper adducta erat. Turcus arces quasdam cum illa provincia filio Joannis regis datas, Temesium, Beche, Bechkerek, e regione Danubii positas, summa contentione habere institerat, ita ut etiam vim sit comminatus Transsylvanis, nisi eas reddidissent. Quas quidem arces si Turco dare contigebat, Transsylvania nimis manca, sola, hosti obnoxia, et ad omnem etiam levem injuriam opportuna remanebat. Sed ut

recentes litterae afferunt, redemptae sunt, et indignatio Turci placata. Polonus jam cum eo in arenam prodit. Quam feliciter? in eventu est. Oppidum quoddam Bastarnarum, ad mare Ponticum, Ochakovo nomen est, haud longe ab ostio Borysthenis situm, subditi quidam illius regis, praedae, quod dicunt, gratia, quia mercibus abundabat, magna oppidanorum occisa copia, interceperant. Turcus, misso in Poloniam oratore, gravissime questus est, et insolenter reddi sibi oppidum, pro qua injuria ac damno CCCM aureorum nummum mulctam poposcit, denuncians insuper eam bello se recepturum, nisi misissent ultro. Audaculus orator retentus et custodiae traditus. Turco responsum : Oppidi casum sine regis primatumque voluntate accidisse, seque ac regem dolere plurimum, et sedulo de justa damni satisfactione curaturos, neque tantam audaciam mutuae cum eo pacis turbatoribus inpunitam relicturos, modo amicitiam eorum modestius metiretur, neque sub imperium cogeret, qui officio tantum illi tenerentur viciniae gratia. Huic humanitati nec aures datae, et bello superbissime interminatum. Quare Poloni, scientes ex alienis malis Turci malitiam cum perfidia, statuerunt apud se tam ingenti pecunia vim hostis contra se non esse augendam, sed suam potius adversus eum adjuvandam, ne ut quidam frustra fecerunt, effundere prius in illum omnia sua cogerentur, postea nihilominus jugo ejus opprimantur. Bellum itaque hoc dicitur, indies adolescere et regem juniorem nihil velle magis, quam ut cum Ottomano dirimatur amicitia. Jamque edicta est expeditio. Miles ubique scribitur, parandis commeatibus designati curatores, et equos, armaque efferri regno vetitum. Secundet Christus clarissima ausa.

Timeo tamen ne solus pugnet, ut Hungarus, ne miles pene tyro contra veteranum, et diu otio civis emollitus adversus jam diutina belligeratione duratum Barbarum. Verum haec, mi Carole, facessant gravia, quorum etiam memoria atque ratiocinatio insuavis est. Ad placidiora veniamus. Hos ego dies, quibus feriatus sum Venetiis, apud Franciscum filium tuum Muriani jucundissime exegi. Complexus est me, ut amicum, humanissime, ut fratrem, liberrime et quam liberaliter. Domi habuit contubernalem et convivam, foris ubique socium, sodalem, comitem, et quid non? accepturus etiam in collegam magistratus, nisi et ipse ab aliis accepisset. O, quantum ei debeam pro hac illius erga me benevolentia, eoque certe addicar etiam ardentius, quod tecum jam in me amanter atque ornanter certare videatur. Equidem nequeo tibi de tanto filio non gratulari, in quo et avi Francisci, cujus nomen non immerito gerit, insignem magnitudinem atque acrimoniam animi cerno, quod mihi referunt, qui novere virum, et parentis, quod per me facile ipse judico, summam vitae integritatem, vigorem spiritus admirabilem, et rerum gerendarum solertem industriam perspicio. In ea quidem praefectura, ut paucis tibi describam singularem tuam laetitiam, magna cum sua laude, cum ornamento reipublicae et cum Murianensium civium utilitate gerit se. Utque praeteream, quae in administranda justitia, in jure dicundo, in poenis irrogandis, in corrigendis vitiis, in gravitate et serenitate morum praestanda, cuilibet perfecto praetori adesse debeant, quum omnia incredibili quadam dexteritate et plena civilis modestiae ac pudoris christiani exequitur: Murianum ubi primum ingressus est, factiones, eam urbem quae diu jam labefactabant, se-

davit. Vitriarios ac piscatores in unam civium classem fraternis foederibus revocavit. Nobilitate mox omnibus aequa a senatu impetrata, unum in tota civitate consilium instituit. Jus postea artis vitriariae, quod per desidiam aliquorum et seditiones domesticas Murianum amiserat, Venetique ejusdem opificii homines usurpaverant, opus quidem certe magni negotii et frustra multis elapsi temporis praetoribus tentatum recuperavit, et Murianensibus reposuit cum admiratione mira nobilitatis, ne dicam, cum invidia eorum, qui hoc assequi non valuerunt. Alia et quidem plura in rem illius urbis, quaedam obtinuit nova, quaedam amissa et vetustate jam obsoleta restauravit. Indultum ad hoc est a senatu magno omnium patrum consensu, ut ei genti nova decreta scribat, ferat leges, legatque in consilium dignos XX viros. Quo fit, ut facile jam Murianum Capellianum dici posset, nisi vestrae huic familiae libertas Reipublicae Venetae venerabilis, et sacrosancta haberetur, ejusque incrementis ita studeretis, ut non facultatibus, non sanguini, non propriae vitae magis. Demum ut patres approbasse viderentur Francisci tui solertiam, qua praesit Reipublicae populis, litem quoque quae ex his inter Venetos et Murianenses vitriarios orta fuerat, ipsi componendam senatus consulto decreverunt, quod certe velut corollarium quoddam immortalis ejus commendationis accessit. Severiora haec et ad togatam gravitatem attinentia quanto cum decore ac modo in urbana frequentia, publicis curis interdum repositis, geniali animorum laxatione temperat, non facile dixerim. Verum si eum domi, in ludis, in sodalitio respicias, aetati, loco, tempori belle respondet; si in foro, in senatu, in civium coronis observas, senem gravis-

simum judicabis, quod domi sibi, foris frequentiae satisfaciendum esse dicat. Unde non ut nascenti, sed jam adultae ejus prudentiae plerosque senatorum ordines favere vidi, admirarique in eo tam tempestivam maturitatem, quam alii magno tempore consequuntur. O, quam pulchrum et speciosum est, hominem juvenem sic in urbe sua versari, eminere, nominari et digito ostendi, ut Demosthenes. Vidi enim decemviros, vidi tribunos, vidi advocatores illi assurgere, et prono comique illum vultu appellare. Vidi alios magistratus, ut ducis et collegii majestatem praeteream, magna cum honoris significatione salutare, excipere, audire et digredientem prosequi, tanta gratia et morum candore principes nobilitatis Venetae studet demereri, tanta vi ingenii ac dicendi energia judices, cives, amicos in amorem suum conciliat, quoniam sicut est facili et prompto ingenio, atque ad multa reipublicae munera obeunda peridoneo, ita et facundia et audacia pollet, quae duo imprimis sunt iis necessaria, qui rempublicam capessunt, et in forensi luce versantur. Sed jam et illa referantur, quam in celebrandis conviviis lautus, quam in exhibendis choraeis festivus est. In his enim non urbanitatem, non veneres, non lepores, non quicquid deliciarum usque est, deesse patitur. In illis non copiam, non nitorem, non animum, non voluntatem desiderari sinit, nulli rei magis intentus, nullius curae, studii officiique magis sollicitus, quam ut publica celebritas ac laetitia expleatur et abunde cumuletur. Proximum siquidem carnisprivium, quo tempore et senes languidos et Catones tetricos, Flacci sententia frontem exporrigere, tellurem pulsare pedibus, desipereque non dedecet, in XII dies distinxit, quibus singulis quinquaginta patricios viros cum uxo-

ribus suis coena prope Apiciana excepit. Nec eosdem quotidie. Novi cum diebus succedebant. Et, ut quique priores venerant, posteriores quoque coenas una coronabant, finem celebritatis opperiri jussi; tam regium animum, secure dicam, Franciscus tuus ad hunc apparatum attulerat, tam large cuncta ad convictum congesserat, non cogitans, quantum impenderet, sed quam uberius, magnificentius, elegantius et pro dignitate patricia Venetam nobilitatem habere posset. Tripudiorum enim continuatio noctes diebus miscuerat, et si cereorum lucem aliquo pacto in diurnam fingi licuisset, XII. illi dies una fuisset judicata. Eo vero tunc tanta ex Venetiis nobilium, plebeorum advenarumque multitudo per omne illud temporis spatium more formicarum Murianum confluebat, quam non praetor, sed fama rei invitaverat, ut non atrium, verum ne civitas quoque caperet. Cui turbae, quemadmodum per agmina quaedam, sic enim libet dicere, succisivis momentis adveniebat, mos pari ratione gerendus erat, curatumque diligenter, ut post oculorum, animorum, pedumque oblectationem, gustum quoque reficerent. Nam identidem his bellaria, illis temporariae dapes, paucarum horarum nec plurium, quam culina expedire et lances strui possent, interposita cessatione, offerebantur, ita ut Muriani praetorium, Lucullianus Apollo, aut populare triclinium, seu, quod nunc dicimus, libera curia esse videretur. Huic ego solennitati quamquam non interfuerim, sicut plerisque aliis, publica tamen voce ac fama largius etiam accepi, quam describo modestiae causa. Magnam quippe, Carole, et memorabilem fore in longum aevum multi testantur, atque in his qu que laudant ingenium, aptitudinem, dexteritatem Francisci tui non mediocriter.

Quae tria et in his ludricris expeti solent, quod in judiciis popularibus periclitentur. Audi nunc et currulem pompam, aere quidem proprio adornatam, qua in desponsatione maris proxima Ascensionis festivitate ducalem celebritatem prosequutus est. Ea, Carole, quanta fuerit, vel ex eo scire poteris, quod et superiora illius urbis praetorum ejusmodi officia superarit, et succedentibus exemplum, magnaeque aemulationis materiam reliquerit. Currus erat formae triumphalis, aureo serico, edera, vexillorumque insignibus longe speciosissimus in navi eminebat. Candidi atque alati equi vehebant. Neptunus tridente minabundus rector erat. Justitia regina duos leones insidens, tutelare Venetum numen in sublime praesidebat. Inerant Nymphae cum Diana, et vestitu atque armatura arcuum sagittarumque insignes, ad instrumenta musica suavissime concinnebant. XII. cymbae papilionibus adumbratae cum praetoria, picturato aulaeo tecta, a puppi sequebantur. Universa civium Murianensium multitudo in varia navigiorum genera, cum apparatu instructissimo effusa, totum ferme illud Marcianum mare straverat, et circumcursantibus aliis velocissimo remige, cum agitatione signorum, aliis tubarum tympanorumque clangore coelum replentibus, et: Capellius vivat, vivat! inclamantibus, totam civitatem in vicos et fenestras ad spectandum pertraxerat. Et nisi Bucentauri moles intervenisset, eo curru dominium vehi quisque judicasset. Ubi senatus in palatium rediit, tota illa cymbarum ac caeterorum navigiorum classis, quae Bucentaurum sociaverat, illecta suavitate musices, tanta frequentia currum, partim adusque urbis exitum, partim Murianum usque comitata est, ut Rivaltinum mare vix eas caperet, naves vero ac remi late vim pa-

terentur, quum negotium ponti quoque factum fuisse constet. Erat Wrancii tui sententia, ut in pilei formam, qui tibi insigne et cognomen est, currui fastigium, quasi umbraculum, solis arcendi gratia, canentibus Divis, apponeretur cum titulo: „Etiam si totus illabatur orbis.“ Innuens, Murianensium clientela quantum in defensione Capelliorum reponeret; sed censura criticorum vitata est. Huic pompae nova quaedam Dionysiorum cura successit, quae in festo divi Joannis publice habebitur. Ad eam maxima pars nobilitatis Venetae, sive virorum, sive matronarum quaeris, sollicita jam sese apparat, diemque ipsum non sine gravi exspectatione cupidissime appetunt, quod omnia non invita Minerva, et Charitum agant cum plenitudine. Caeterum quod in eo non admiratione solum, sed etiam veneratione dignum censeo, tanta te observantia colit, tanto amore suspicit, ut quaecunque acturus est, tum demum ea et honesta et laudi sibi fore existimat, quum saepius, an patri sit satisfacturus, secum expendat, et amicos consulat. Postremo, ut praefecturae suae celebre aliquod monimentum relinqueret, civibusque ac civitati commodo et ornamento accederet, alveum maris, quod Murianum ad aream judicialem disjungit, pulcherrimo ponte, qui uno arcu seu fornice nitetur, conjugabit et jam omnis materia sub ascia ac dolabro est, surgetque et stabit non ita multo post. His confectis exitus e praefectura consequetur, cui senatorium quoque splendorem audio affuturum, foreque non minus clarum, quam de ingressu praedicatur. O, quanta, Carole, ut mihi jam videre videor, exultatione laetaberis, quum haec leges, cernens jam te posteritatem avis non indignam reipublicae tuae relicturum. Possem multo plura adjicere: quem ordi-

nem in exigendis debitis sine inopum offensione, et cum creditorum non exigua satisfactione in eo populo posuerit; quo trajectus Muriano servientes reformarit, aliisque similibus sagacissime prospexerit. Sed quoniam sunt numerosa ita, ut quum redieris, pene renatum dices Murianum, nuncque etiam excessit epistola, sit de his satis. Habes hic et Petrum filium, sane senatoriae indolis gravitatisque, et in rebus publicis magnae spei praeclarum specimen. Qui quidem licet homo juvenis est, et Francisco junior, tamen non minore ardore ac studio et cum fratre contendit, et ad majores suos assequendos bene jam accinctus est, maturatque nihilo sedatiore genio retardatus ad gloriam. Verum quoniam Francisco dicta est haec epistola, de eo potissimum tibi gratulor, de cujus fruge jam securus esse posses. Laetus itaque vive, mi Carole, et Franciscum tibi, Petrumque filios, teque utrique patrem sospitet Christus, meque vobis omnibus faciat indies chariorem. Bene vale. Venetiis XX. Junii MDXLVI.

LXXXVII.

Mulla Márk Antalnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius M. Antonio Mullae patricio Veneto S.

1546. jul. 8. En habes jam primas partes officii mei, quod abs te discedens, de mittendarum litterarum diligentia tibi promiseram. Hodie quum ad urbem Carinthiae Frisacum appulissem, eodem et Poloni quidam, petentes Romam, uno tempore mecum applicuerunt. Quos ubi de rebus novis interrogassem, ea omnia, quae de illorum in Turcas motu, partim turbulenta, partim nimis magnifica Venetiis ferebantur, retulerunt, sedatiora et longe minora domi esse, quam foris fama diffuderat. Oppidum quidem illud Ocziakovium in Podoliae finibus, sive apud Bastarnas, ad mare Ponticum situm, audacia quorundam limitaneorum militum praedae gratia interceptum fuisse, omnino certum est. Factas etiam a caesare Turcarum de violatione foederis graves querimonias, ac satisfactionem tum damni, tum injuriae requisitam, id quoque non est dubium. Verum belli minae nullae fuere, ne mentio quidem, nisi quod et regi visum est indignum, peti a se, quod vagi ac temerarii homines diripuerant, et quod orator parum prudens, multum etiam incivilis, et praeter imperium principis sui, quemadmodum postea cognitum est, functus esset legatione insolentius. Consilio tamen et moderatione prudentium, toleratum est Barbaro, eoque etiam id quidem facilius, quod satis-

factio longe minor, quam pro damni magnitudine, repetebatur. Nam dudum ea cognitione domi habita, et per ipsum oratorem scripto regi porrecta, CLIIII millium asprarum summa constabat. Curatum itaque diligenter, ut graviter et cum existimatione oratoris impudentia castigata, caesari ex amore atque justitia, ut amicos et foederatos decet, reposituros sese, quicquid detractum esset, spoponderunt, sed sic, si aequi aestimatores damni utrinque designarentur, qui ad locum missi, inirent per juramenta singularum personarum, a quibus quid ablatum sit, novam cognitionem, et tandem unicuique pro damni qualitate juste atque integre satisfieret, amicitiaque illis cum Turca in priore statu firma permaneret; nec putant, quantacunque fuerit summa, XM. ducatorum excessuram. Decretum tamen est apud omnes in pectoribus, pugnandum vel cum periculo potius esse, quam in posterum quantumvis exile aes cum dedecore depromendum, praesertim si ejusmodi cavillationibus appetentur. Sed interim et illud credas, Polonos quamquam in Turcam valde sint concitati, quod Hungariae vicino casu stimulentur, non tamen adeo esse leves ac parvi consilii (uti coram quoque saepe a me audivisti), ut cum hoste tam valido soli sine cujuspiam auxilio bellum ordiantur. Nollent enim in hoc aut Graecorum, aut Hungarorum exemplum imitari. De Transsylvania cuncta nonnihil mitiora retulerunt, praeterquam quod arx Beczie ad Tibiscum flumen sita, morosissime postulatur, et quod hostis ea nulla vult ratione carere. Res omnino parva est, praeter tamen opinionem multorum maximi momenti. De Hungaria, solito more, nihil boni, siquidem missa sunt ei majora praesidia, veteribus revocatis, eaque in diversis locis versus Au-

striam distributa, praedam ubique agere nunciantur. Sed nec Germanicus ignis adhuc sopitus, viresque indies majores sumit. Imperatori Carolo miles ubique conscribitur. Missi sunt Hispani Jaurinum, qui eos limites tueantur. Eodem et machinae bombardicae Vienna complures Danubio deportatae. Imperatum et nostris provinciis, ne quis ad externa regna, stipendia facturus, proficiscatur, sed domi expeditis armis, parati sint, et audito secundo mandato eant, quo missi fuerint. Nunciatur et Romanum regem Oenipontem profectum, inde Pragam iturum propter novos delectus. Non creditur tamen Bohemos Germanis peccaturos. Nihilo segnius et lantgravius cum Saxoniae duce vires comparant, ajunt, ad eos undique agminatim milites congregari. Auditur et Helvetiorum Rhetumque in Tirolim, Gallorum vero in Insubrum agros invasio, puto, ut imperatorem ab instituto Germanico distineant, quod tamen tu istic melius, qui in ea es republica, quae totius orbis novit actiones; ii an vere, nescio, nisi forte metu suadente id opinentur, quod omnes magnum bellum vereantur. Haec ad te ex itinere a vulgo accepta perscripsi, eaque non quod omnino vera esse putarem, sed ut saltem nihil non scriberem. Vienna forsan dabimus certiora laetioraque, si erit per quem. Sed utinam possem laetiora, ut scilicet feliciter concinnato isthoc stratagemate in conjungendis Christianorum armis atque animis, diceretur, caesarem, Turcis neque opinantibus, in Hungariam signa convertisse, quem certe solum diu jam gens nostra et exspectat et inclamat vindicem. Julio Savorgnano, quum ad te venerit, pomeridianas, ut solet, horas bene collocaturus, oro, commendes me. Etenim mirum in modum placuerunt mihi omnes partes

ejus viri, praesertim humanitas et moderatio, quae in magna nobilitate et in amplis opibus plerumque solent periclitari. Quis enim eum, tanto non modo rei militaris usu, sed etiam plurium liberalium artium scientia praeditum, hisque tum scite, tum eleganter utentem non admiretur atque adamet? Quis simul ab eo non diligi atque complecti discupiat? Quod hercle mihi utrumque usuvenit, et in mente versatur. Perfice igitur oro, ut sicut et illum ego adamavi sinceriter, ita et ipse me redamare non dedignetur. Nihil sane unquam praetermittam, quod ad eum colendum decebit me, ejusque merebitur quum generis tum maxime virtutis claritudo. De germano fratre illius eadem teneo, eadem dico, atque illi de me polliceor, quos mihi ambos tua conjunxit consuetudo. Vale. 8 Julii 1546 Frisaci.

LXXXVIII.

Seredi Gáspárnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Gaspari Seredio S.

1546. aug. 2. Magnae indolis ac praeclarae spei Joannes Alagius, nepos tuus, dedit mihi ad te Patavio litteras, quas quidem ipsemet libens in tuas manus afferebam, si Cracoviae subsistere coactus non fuissem. Curavi tamen, quantum in me fuit, diligenter, ut summa fide ad te perferrentur. Copulatae sunt his et aliae, Sigismundi Gelaei, Transsylvani, hominis tibi deditissimi. Verum si quaeris: quantum mihi placeat nepos tuus? profecto mirum in modum. Ultra enim acumen ingenii, quod non exiguum videtur ad bonas litteras fuisse sortitus, quippe qui lepidissimum carmen facit, et latinam componit epistolam, his pollet moribus, ea est honestate actionum, ea modestia, ea verecundia ac demum constantia servat disciplinam, puto a te traditam, ut in voluptates ac licentiam Italicam nunquam prolapsurum existimem. Mihi quidem, et si decipi possim nimia benevolentia, tamen tantum arrisit ejus indoles et modesta et liberalis, non carens gratiis ac genio peculiari, ut de eo multa praeclara audeam polliceri, tibique etiam magnopere tum laudare, tum commendare praesumam. Quum enim faciem ipsam totam habeat natura ad pudorem et probitatem comparatam, rubor etiam ille, quo veluti conspicuo quodam ingenuitatis et probitatis testimonio suffunditur in allo-

quiis, gratissimum faciat omnibus, in praeclarum virum evasurum, facile mihi persuadeo. Et si non vererer injuriam afferre consodalibus, nobilissimis adolescentibus, quibuscum incumbit una litteris, equidem majora ab eo, quam ab iis sperare non pertimescerem. Sed ut ii quoque non fraudentur laude sua, et nitantur jam concepta fiducia, minime futurae gloriae dubia, hoc solum dicam de Alagio: quod te summo et gravi viro, avunculo suo, nepos erit non indignus, tuisque votis ita cum dignitate respondebit, ut praeterea nihil desideres. Nec aliud ad hanc rem quicquam restat, quam ut illi non gravate suppedites nervos studiorum, ut in sodalitiis et in universitate scholasticorum pro magnitudine tua et pro decore suo versari possit. Non enim, quantum mihi licuit perspicere, luxuriat, neque aere abutitur, sed ut frugi adolescens probe utitur, insumitque etiam parcius, quam intra modum. De me tibi ea omnia, quae de homine tui studiosissimo summa animi propensitate polliceor. Vale. 2. Augusti 1546. Cracoviae.

LXXXIX.

Vola Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Volano S.

46. aug. 27. Jam nulli posthac amico, Volane, credam, postquam fuere male conservata, quae tibi credideram. Nec enim ullum unquam amicum habui, praeter te, cui securius patefecissem, de quibus nunc expostulo, et quae, miserum me! nisi tecum communicassem, vix mihi jucunda fore putassem, tantum in te et amoris collocaram, et de tua fide mihi pollicebar. Et si majorem exigis hujus meae voluntatis erga te declarationem, me ipsum quoque mihi facilius defuturum credidissem, quam de tua in rebus meis inconstantia vel cogitare quicquam potuissem; quippe quum ego te non aut officio aut affectu eo solum complectebar, quo partim ipsius humanae necessitudinis lege, partim privatae cujusdam urbanitatis studio ac civili decore in omnes homines esse debemus, sed singulari amore, eoque magno beneque examinato judicio mihi devinxeram. Hincque est, quod vehementius offendor, quia vehementius te, etiam praeter tuam aut fidem, aut cognitionem, quod crassiore, ni fallor, Minerva eras, dilexeram. Nec tamen dubitare poteras, quam mihi charus esses. Noveras enim jam vel quaterna mea apud tuos principes legatione, clarissimum in te animum meum, noveras amicitiam multo officio, magna fami-

liaritate, et quotidianis pene, hisque uberrimis donis, quae non valde rogatus accipiebas, et quae tum animi, tum amicitiae significatores confirmatoresque esse consueverunt, comprobatam. Sed mihi, Volane, male gratiam dependisti, quam largam atque ingenuam magnifice spoponderas, fortasse, quod me nunquam rediturum, et diu jam fortunae naufragium fecisse cogitaveras, aliique cuipiam eodem fuco accommodare volebas operam, ne tibi inutili otio evanesceret, et haberes semper, quem assecla emungeres. O, insignem industriam, o, ingenium praevidens, o, amicitiam in exemplum reponendam! Quasi utilitate vera dilectio, non charitate atque affectu ultroneo, qui nec exponi potest, nec mercenarius esse debet, metiretur, et amicorum vel apud Garamantas, sive Indos existentium non esset ratio retinenda, ut montium, qui posteaquam a natura disjuncti sunt, nunquam conjungantur. Sed interpellas me, jam sentio, negasque ac pernegas, id verum esse, per omnes superos, mihique a rivalibus imponi dicis, qui, quae fieri a me potuissent, facta jam et per te enunciata esse contendunt, ut a me, tanquam fungo extorta confessione, oris mei testimonio judicium sibi statuerent, et condemnationem in me secure declararent. Deinde exclamas: hui! qui ego id sceleris atque impuritatis perpetrare in te potuissem, quando et hujus ipsius amoris fuerim tibi magna ex parte author, et alios saepe multos pro. . . *)

Non dicam impudenter, quod tantus amicus esses, sed omnino parva ratione possessor esse contendebas. Quod quam verum sit, quaeso, ne velis pluribus cognoscere. Ex longis enim querimoniis saepe-

---

*) A kéziratból itt egy levél ki van szaggatva, melyet Katona is jónak látván nem közölni, Históriájából sem pótolhattuk.

numero in jurgia delabi solet. Atqui tu, ut velis, aut, si mavis, ut incepisti, agas. Ego certe ab instituto meo vetere non recedam. Nec enim te accuso, nec indignor tibi, quod iratus nocere non soleam, et quamquam molestissime feram, idque tibi constare cupiam, leniter tamen indoleo, et amice queror, quod mihi tunc defueris, Volane, quum adesse maxime debueras. Laesisti autem eam, quam equidem ego etiam si dilexi perdite, non tamen amavi improbe, meaque certe gravissima atque acerbissima laesione incommodove quovis et quantovis salvam redemptamque ab hac injuria esse voluissem; mihique, Volane, credas, quod non alia ratione passus eram, te conscium fieri flammae hujus, quam ut absente me famam ejus a malignorum injuria testimonio tuo tuereris, quod quidem et ad honorem et ad dignitatem meam pertinebat, tuam vero integritatem ac mutuam necessitudinem nostram plurimum decebat. Id autem officii nisi a te promeruissem multis nominibus, ne commemorem beneficia, utens tecum ex aequo omnibus rebus meis, levius utique ferrem, quicquid in me indignius contorsisses. Sed quod ad singularem amorem et mea erga te non contemnenda benemerita, in neminem adhuc mortalium copiosius collata, ne recordatione quidem gratia rependitur, et insuper traducor cum amantissimis meis, hoc, me Hercule, et gravius et altius confodior, satisque mihi per te fuisse factum existimassem, si saltem non oppugnavisses, postquam tueri aut nolueris aut non potueris, sive etiam non opus fuerit, ut non fuerat. Proinde ne solus in me furorem tuum exerceres, Matthaeum quoque servum meum, quem de tua manu ad tuam fidem acceperam, tibi, ut arbitror, in obloquendi societatem adjunxisti,

ne Charybdi Scylla defuisset. Nam ipse quoque satis egregie bonitate ac munificentia mea abusus, genuinum in me frangere non est veritus, et xeniola, quae illi Cracoviam ad amicos meos dederam, non dicam, involavit, modestiae enim semper studeo, et alioqui parco ei, quod nobilem esse intelligo, sed certe plebeo more suppressit, idque fortasse tuo consilio, ut sicut reliqua, ita et furta haberetis communia, quandoquidem et patria, quae est Masovia, eadem procreavit. De quo quantum doleam, Volane, nequeo sane facile eloqui, quod indignatione prope disrumpor. Deus bone! quanta eum indulgentia, quanta facilitate ubique habueram, quantum ei in infirmitate domi meae affui, et a servitute peperci, quanta postremo largitate sum prosequutus in patriam discedentem! Affinem profecto mihi fuisse multi dixissent, qui nescissent servum. Non enim nudum, non pedem, non sine sufficienti viatico dimisi, adjectis etiam litteris ad Joannem Bonerum, virum et clarum et opulentum, mihique amicissimum, rogans, ut eum adhibeat suo famulitio, pollicens illi quum de moribus ejus bonis, tum de fidelitate omnia. Nec unquam credo, me majorem errorem commisisse, quam hunc ingratum tam digno viro commendando. Idem autem a priore domino qualis et quam comptus advenerat, ipse vidisti, qui eum ad me deduxeras. Ut enim sordidus et egenus erat, sic rudis atque agrestis ad omnem fuit semper famulatum. Sed esto. Malo facilitate etiam humilior haberi, quam crudelitate damnari, et feram haec, ut alia multa atque graviora consuevi. Nisi enim essent, qui bonos pravitate sua exercerent, rariora virtutis ac fortitudinis exempla viserentur, injuriaeque commodius saepe patientia, quam vi vin-

dicantur. Verum ego tibi nec inimicitias nec vindictam denuncio. Hac saltem, qua exarsi iracundia, prudens exsolvo me, ne intra praecordia suppressa diutius in virus aliquod erumperet, voluique interim facere te de his certiorem, ut ad me, si omnino is erga me esse non desieris, qui diu fueris, tute perscriberes. Quod vero de discessu meo ex Hungaria senseras, scito, quod non abieram, non eodem reversurus; isque meus recessus si aliam faciem habere visus est, quam habebat, res quidem ita postularunt, non meae sed publicae, quae nunc plerumque in toto fere orbe Syllenis peraguntur propter perfidiam, qua miserrime exagitantur nostra saecula. Plura nunc non scribam. Horteris istum tuum latrunculum, ut ea xeniola restituat quibus sunt missa. Nihil ei apud me solitae decedet benevolentiae, id si perfecerit. Tu etiam, si delatores tuos mendaces fuisse convincere poteris, de sarcienda, immo firmius etiam confirmanda nostra necessitudine, sic statues ut voles. Non enim parum mota est, verum illud commoneo, quandoquidem dissimulare nescio, ut incumbas posthac enixius probitati, et discas, amicum bonum, nisi virum bonum, esse non posse; et si etiam vis, ut dicam clarius, fidei atque constantiae nulla est cum pravitate permansio. Vale. 27. Augusti 1546. Cracoviae.

XC.

Vapovius Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Vapovio suo S.

Commentarium comitiorum Leopoliensium remisi ad te, ut petieras, per puerum tuum. Legi in eo multa quidem digna luce atque hominum memoria. Gentis etiam tuae de tuenda libertate, de observandis legibus ac veterum institutis studia, conciones item, ut eloquentiae vi validas et causis graves, ita et rhetorum praeceptis, philosophorumque sententiis instructissimas non aliter sum admiratus, quam si aut Platones, aut Catones audivissem disserentes. Sed in tanta nobilium ac praestantium hominum frequentia, pro republica sapientissime dicentium, divinas pene mentes Tarnovii ac Kmitae, primariorum in Polonia virorum, cum stupore etiam mecum sum contemplatus. Quorum, quum studium eo tempore in republica vestra, veteri jam contentione odiorum diversum omnino habuissent, parique potentia atque authoritate dignitatum et caeteris praestarent omnibus, et dicendi facultate ambo ad impellendam plebem, quo vellent, acerrimi, et sine dubio summe idonei haberentur: tum Kmita certe, vel quod fortasse posterius dixit, vel quod inflammatum vulgus ad seditionem majoris operae est sedare, quam incitare, superior mihi visus est Tarnovio. Verum enimvero quamquam hoc judicium majoris ingenii judicem re-

1546. sept. 12.

quirat, mira tamen vi atque arte Tarnovius quoque recensuit vulnera reipublicae, eaque ad sanandum omnium animos excitavit atque incendit, et Kmita, ne id intempestive ac turbulenter fieret, ipsaque remedia non in domestico motu, neque a vulgo male pacato requirenda, sed, sedente domi vulgo, ab optimo et sapientissimo principe, virisque tum prudentia tum multarum rerum cognitione claris expetenda esse persuavit, unde momento, una velut inversione manus, et irae jam furentis populi placatae, et Tarnovius oratione, suppressa seu dilata pertinacia, scenae inserviens, totius conventus sententiae mutationem sequutus, pulcherrime regi obtemperatum est. In quo solo Kmitam laborasse, et nervos eloquentiae intendisse perspexi, ambo tamen simul summa celebritate et apud nobilitatem habiti, et a principe gratiis prosequuti sunt, tantum et Tarnovii in rebus subitis ac difficilibus valeat ingenium atque industria. Quare, ut concludam, haec mea de utriusque amplitudine censura est: ut si olim quospiam heroes eloquentiae et prudentiae gratia in Divos vetustas retulit, hos certe duos viros nostra omnis aetas multum admirari, regnum vero vestrum perpetuo et colere et celebrare debebit. Vale. 12 Septembris 1546. Cracoviae.

XCI.

Vapovius Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Vapovio suo S.

Legi litteras tuas, quas, recepto commentario 1546. sept. 14. comitiorum Leopoliensium, ad me dederas. Scribis his, quod me maxime diligas, magnopereque delectari velis familiaritate mea. Idem tu quidem, mi Vaponi, de me tibi persuadeas velim. Deo autem ingentes habeo gratias, quod tam cito sine ullarum probationum testimoniis alter alteri crediderimus, mutuo adamarimus, et exhibuerimus utrinque tam recenti amicitiae nostrae et fidem certam et cordium penetralia. Equidem ut de me dicam, quum in te, suavissime Vaponi, omnia maximae indolis ac spei vel ipso primo congressu nostro apud Alexandrum Miscovium praeclarissima cognovissem indicia, nefas putavi me committere, et suscipere magnum detrimentum, si eodem loci, eo ipso tempore amicitiam tuam mihi conciliare neglexissem. De te vero erga me, quoniam ea es animi gratia, eo candore, ea institutione morum, ea demum ingenii praestantia atque moderatione, non possum mihi quidem abs te non omnia eadem et amica pro hac nova nostra conciliatione et pro utriusque jucunditate consuetudinis summa, honesta atque dignissima polliceri. Quae cuncta ubi mutuo inter nos strenue praestare studuerimus, amboque officiis atque amore conjunctionem hanc cumulare ad-

nitemur, oro te, ne desis partibus tuis ullo casu; ego meas etiam in periculis ita urgebo pertinaciter, ut in amore tibi non concedam; cognoscant omnes homines, candidissimum me Vaponium non aliter amare, diligere et magnifacere, quam juvenem nobilissimum doctissimumque, omniumque, quum maximorum tum optimorum virorum benevolentia dignissimum. Ad me autem quandocunque venire volueris, venies semper gratissimus, meaque sic uteris familiaritate omni tempore, ut cunctas horas meas tibi me servavisse comperies. Vale. 14. Septembris 1546. Cracoviae.

XCII.

Mulla Márk Antalnak, Verancsics Antal.

Antonius Wrancius M. Antonio Mullae patricio Veneto S.

1546. sept. 25. Ego sum adhuc Cracoviae, nova a regina mea mandata opperiens, quae et quo, non satis scio. Sic enim jussus sum. Ad te vero quod novarum rerum scribi potest interim, hoc est. Affertur Nurinberga, certis nunciis, Carolum imperatorem habere exercitum LX. M. electissimorum hominum, cum subsidio Flandrensium, quod ajunt XX. esse M., et ad urbem Ingolstadium castra posuisse. Nec majores illi copias fore nunciant. Hostes vero pene in conspectu ejus assedisse, neque id distantius, quam X. M. passuum, inter quos XII. principes germani cum LXXX., ut vero quidam volunt, cum centum M. pugnatorum esse perhibentur, et utrobique magnum affirmant esse militare robur, maximosque ad confligen-

dum attulisse animos. Certe alio, non in se, tanta vis armorum communium convertenda erat Christianis. Sed si et haec alea caesari cedet feliciter, quamquam fraternus et gentilis fundetur sanguis, non tamen parum ejus magnitudinis atque potentiae opinioni accedet apud eos, quorum ferro atque victoriis tota res christiana videtur periclitari. Hungaria indies magis ac magis succumbit, et Turcarum dominationi assuescit. Transsylvania penes fortunam Joannis regis filii, tributi pensione adhuc victitat. Poloni rebus integris in otio student, nec quicquam ab ea martiale in communem hostem exspectetur, quamdiu senior rex vita fruitur, aut non ei ingens aliqua causa belli injiciatur, seu confirmatior et longa unio principum nostri nominis oriatur. Per hos dies aegre in vita vi soliti morbi retentus erat, quod discrimen ob senectutem jam ultimam frequenter adire cogitur. Junior indolis praestantissimae feliciter in Lythvania dicitur regnandi rudimenta exercere. Mirum in modum commendatur atque amatur ab omnibus, deque se praeclaram genti suae spem praebet. De nuptiis ejus privatae et vulgatae famae mulieris mussantur aliqua, sed certi nihil possum. Aliae res nostrae omnes, immo et Turcicae, sicut anni initio ita et ad finem usque pendebunt ex eventu Germanicarum rerum, hisque exspectationibus in hiemem deveniemus, ac silebitur interim. Bene vale. 25. Septembris 1546. Cracoviae.

XCIII.

Batthyáni Orbánnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Urbano Bathiano S.

1546. sept 25. Nisi scirem, Urbane, quam parum delectaris multo lenocinio ac elaboratiore suadella verborum, dum ad ferendam opem rogaris, uterer sane pluribus in commendanda causa mea. Sed quoniam integerrimi mores tui hoc renuunt, praesertim quum amici sunt sublevandi et viri probi; ipsaque laborantium aerumna magis quam dicendi copia, seu artificio soleas commoveri: parcius agam, illudque solum, ut hoc meo gravissimo casu velis me dignum esse patrocinio tuo, eaque gratia atque existimatione, qua es apud principem nostram luculenta et insigni propter excellentes virtutes tuas, atque praeclara in eam merita: oro, fer opem, elaboresque, ut ubique, ubi mea res postulaverit, adsis mihi, ne in reliquum ruam. Nihil enim magis cupio, quam ut veniam erroris obtineam, quo nihil infantius unquam commisi, neque stultius. Hujusque voti si tua opera compos exstitero, poteroque adhuc aliquis esse, eam tibi gratitudinem polliceor, quae pro honore, pro libertate, pro rebus denique omnibus maximis deberi solet. Neque aliud addo, metuens multa verbose cum viro prudenti, diserto, atque etiam cum eo, qui quum et ex patriae angustiis, et ex suorum casuum varietate facile didicerit alienis malis commisereri, tum etiam benemereri de multis tan-

tum studii semper habuerit, quantum qui fuere beneficentissimi. Abs te itaque omnia certa, omnia etiam fausta de re mea sperabo, tantum et in benevolentia tua confido, et in authoritate, qua es apud principem, quamque semper ob rarum ingenium tuum ad omnia maxima comparatam merueris, repono. Enitere igitur, mi Urbane, in amici causa diligenter, et faciamus periculum, ecquid adhuc in fortuna mea mihi est praesidii; scribasque interim saepius, quum per quem erit, fauste ne, an secus nobis succedat, quo ad alia consilia rerum nostrarum capessenda tempestive convertamur, nec me in hiemis tempus conjicias. Vale. 25. Septembris 1546. Cracoviae.

XCIV.

Blandrata Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Blandrattae medico S.

1546. sept. 28

Omnino serius, quam debebam, nec enim sine causa, sed tamen mitto jam litteras, quas ad te ab amicis tuis Venetiis acceperam. Cum quibus et salutationes multae sunt datae, et commendationes plurimae factae, easque et si ipsemet brevi quidem coram, auspice Deo, diligenter exequar, ut Thadeo, praestantissimo medico, et Paulo Gradonico, viro nobili, amicis tui amantissimis, hac in parte pro illorum erga te singulari studio cumulate satisfaciam: nunc tamen haec epistola, utcunque poterit, perferet functionis hujus officium, quo citius cum tuis colloquare. Ego vero interim vehementer me tibi, et meam causam, de

qua jam pridem ad te summa fiducia scripseram, studiosissime commendo. Caeterum audio te discessum in Italiam meditari, et nisi falso intellexerim, coelum istud Transsylvanicum minus tibi salubre causaris. Quare, quoniam ad veram amicitiam plurimum spectare arbitror, amicis recte atque libenter consulere, tibi, mi Blandratta, consulerem, si quid modo consilio meo non est apud te proximo errore detractum, mirificeque etiam te rogarem, ne istam rarae virtutis atque integritatis liberalitatisque reginam destitueres, praesertim si illi obsequium moresque tui probantur. Neque enim de doctrina, de industria, non de reliqua sufficientia quicquam dico, de qua etiam Venetiae satis pro tua existimatione magnifice loquantur; verum mihi credas, quod sicut et sub saluberrimo coelo humana corpora morbis sunt obnoxia, quum potissimum ex nobis ipsis causae morborum proficiscantur, quod tu melius nosti, cui physica ratio plenius constet: ita et feliciorem fortunam ubi semel elabi permittemus, raro eadem ad nos revertitur. Adde praeterea, quod et hujusmodi copia principum atque nationum non ubique occurrit, esto quod quam plurima et quam amplissima regna peragraris, quemadmodum et Isabella regina est et Hungarorum natio, apud quam externis hominibus quum ad opes per industriam, tum ad omnium gentiliciarum dignitatum, officiorumque*) facultas per virtutem concedatur. Alibi invidia atque odiis laboratur. Conditio autem ipsa, quam jam istic es assequutus, debet tibi esse caeteris rebus omnibus longe gratissima, cujus gratia in Italia quoque jam non nominaris so-

---

*) Kimaradt: ‚gradum,‘ vagy más rokonértelmű szó.

lum cum honore, sed etiam cum gloria praedicaris, tantum tum a locis interdum, tum a personis quibusdam lux atque existimatio soleat hominibus provenire. Idque ipsum utinam ego non ita pridem cogitare potuissem, non ita sane nunc erroris mei culpa erubescerem. Quamquam et maximos ac sapientissimos viros, ut homines, saepe errasse vidimus, nec puduit eos ad erroris redire palinodiam, qui vere maximi et sapientissimi haberi voluere. Eoque sane multi ex emendatione erroris sive peccati saepenumero clariores evasere, quod causae recuperandi amissa, (.?) quum nobis multum quidem certe et otii et torporis adimunt, tum maxime ad omnia summa et praeclara consequenda quasi viam quandam aperiunt, dum ad faustum finem voti perurgent atque adigunt. De his ad te familiarius, quoniam diligo te, et de amore ac benevolentia tua, immo de studio quoque, quo te affuturum praesenti causae meae non dubitem, omnia mihi vicissim persuadeo, quae desidero. Vale. 28. Sept. 1546. Cracoviae.

XCV.

Petrovics Péternek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro Petrovio Comiti Temesiensi S.

1546. sept. 28.

Nescio, Petre, cur fit, sed mei videris nimium esse oblitus. A te nec nuncium, nec litteras, nec vel unicam salutis aut consolationis significationem accipio, quod quidem afficit me aeque ac praesens mea perturbatio. Et quamquam minime dubitem, meo te istinc tam tumultuario discessu gravissime offendi, quemadmodum alios multos, qui me una tecum habuere charissimum, quosque vicissim ipse quoque solitus eram eadem, quo te, et studio et veneratione colere, ac memini etiam saepenumero, quam me amanter aliquando hiisdem affectibus monueritis, ne sic de rebus meis, ac statu praecipitarem : tamen, ut verum fatear, sicut nulla discedendi a vobis suberat legitima causa, ita oppressus morbi magnitudine, usque ad mentis alienationem, quod omnibus plane constabat, non alia certe ulla impulsione, quam, meo judicio, Erynnis alicujus furiis exagitatus, ac sceleratiore meo quopiam adactus sidere, ea perfeci aeger, quae sanus etiam cogitare horruissem, nunc etiam improbo atque condemno, et facile credo, communem quamdam multorum praesentis temporis fatalem hanc caelorum vim exstitisse, quae, ne solus ipse, qui in tam

longa ac difficili servitute, regno quum externis bellis, tum domesticis seditionibus periclitante, ad honestum dignitatis gradum evectus, nunquam erraveram, gloriari potuissem inter multos, qui vario casu atque scelere jacturam rerum fecerant, me quoque voluerit prosternere, tuncque, quum maxime sapere debueram, et poteram fortasse de fortuna mea sperare ampliora, non solum desipui ac lapsus sum, sed etiam — miserum me — ita corrui atque eversus sum, ut sicut in acta vita semel, sic omni ex parte gravissime atque profligatissime. Neque, quid dicam in causa, quamve me ipse aut excusem lepide, ut commiserationem promerear, aut ex arte accusem, ut consequar veniam, ullum modum excogito. Restat igitur, ut ad remedia accurratur, quae quidem plurima et facillima mihi ex amore tuo peti possunt, si modo ea me abs te sperare jusseris, qui saepe alias ad omne commodum et dignitatem meam fueris propensus. Ne autem tibi ad hanc rem modum praescribam, aut ostendam rationem, in quo fortasse possem videri homo deridiculus, si sapientem vellem edocere, tute sane probe nosti, quid facto opus erit, ut resurgam. Orabo itaque tantum, ut capessere velis mei procurationem in omni loco, atque apud omnes ardenter et ex animo, uti alias fecisti semper. Et quum tum apud reginam authoritas tua prima est, tum apud Utissenium nulla major: si putas, adhuc me commodo filii regis fore aliquando non ineptum, postquam et corporis pristinam valetudinem recuperarim, et animus ingeniique vigor idem est ad negotia, qui fuit semper, rogo te, da operam, ut cum honore ac dignitate restitui possim. Nec mihi nunc rebus accisis desis, qui salvis, omni tempore, et opem et amo-

rem tuum singularem ostenderis. Res enim difficiles, amicos probant. Bene vale. XXVIII. Septembris 1546. Cracoviae.

XCVI.

Egy atyának nevében, ki fiát elvesztette, barátjaihoz levél Verancsics Antaltól.

Antonius Wrancius Patris cujusdam nomine, filio orbati, amicis S.

1546. oct. 1. Gratae mihi ac perjucundae fuere litterae vestrae, quibus me dolore de obitu filii mei — vestra sententia — gravissimo solari atque a luctu revocare nitamini. Vos id quidem non minus pie atque humaniter, quam pro amicitia mihi jam dudum vobiscum vetere, et multis quum probata, tum confirmata argumentis consuetudine ex officio facitis. Unde facile quidem agnosco, infelix pater, benevolentiam ac fidem vestram, vobisque qui me tantopere semper amastis, sic etiam constantissime semper dilexistis, ut et dolorem vestrum cum meo conjungere non dubitastis, et in me, ne tanto moerore conficerer, quanto pro magnitudine plagae concuti existimastis, graves ac validas rationes consumpsistis, habeo sane gratias immortales, et fateor quidem, quod studia ista atque conatus vestri, ex vera profecti charitate, nisi diu jam, et multo etiam antea quam natus esset is ipse filius meus, sic me ad omnes humanos casus excipiendos ac perferendos, ut vos quoque amici, viri sapientes, suscipiendos, perferendosque esse arbitramini, communivissem, nonnihil etiam ex aetate ac

rerum experimentis minus humanis affectibus moveri assuevissem, facile profecto — quod ex vestro dolore judico — dolentissimum et omni solatio egentem istac ipsae litterae vestrae reprehendissent, meique tum gemitus essent inhibendi, tum siccandae lacrimae, et omnis reliquus luctus nonmodo solidae consolationis indigeret, sed etiam nisi in vestra authoritate, quae apud me semper est magni habita, conquiescere posset, in quorum placari atque extergi deberet, prorsus reperirentur nulli; tanti apud me orationis vestrae vis, tanti ardor pietatis et tristitiae hujusce vestrae tam pertinax societas, quam vos communem cum mea habere voluistis, pondus habuisset. Sed idipsum quamquam non ignorarim dies etiam ipsos efficere posse, qui quum omnem aerumnam ac moerorem quantumvis calamitosis saepissime eximant, tum dolores etiam longe maximi, completo certo quodam suo cursu, velut effeti senio, solatore neque adhibito, consueverunt pro humanarum rerum vicissitudine minui, ac per sese desinere. Tamen hoc utrumque viro forti ac in praeceptis prudentiae versato exspectare, et non potius virtute ac sapientia eadem antevertere, et turpe et imbecille semper esse duxi. Quare ne philosophiae theologiaeque nostrae christianae studiis frustra pene a puero operam navasse existimarer, nihilque intra tot annos viderer eorum reposuisse, quibus et humanae conditionis casus fortiter sustinere, et spe de immortalitate animorum solari et confirmari possem, nihil me quidem — quod scire vos cupio — minus tangit hoc tempore, quam doloris atque orbitatis hujus tanta afflictio sive calamitas. Et licet filium ad maturitatem liberaliter educatum, jam prudentiae compotem, voluptatibus inimicum, vitae integrum, caren-

tem vitiis, ornatum moribus, studiosum modestiae, ingenio candidum, lepidum, verecundum, litteris institutum, ad omnem honestatem appositum, ad praeclara quaeque comparatum, moxque demum parentibus praesidium, et posteritatis spem ac seminarium amittere, acerbum sane esse fateor, et affirmem etiam, inhumanitati tribuendo, ad ejusmodi orbitatem non commoveri atque ingemiscere: tamen et hunc quantumvis unicum praecellentem, et generi necessarium, more foeminarum deplorare, et casso, minimeque profecturo dolore, velut ab se poenas diu exigere, quid, quaeso, aut magis absurdum et inutile, aut minus viro dignum esse possit, quum et de Deo queri videamur, quod nefarium est, deflentes mortuos, tanquam nobis, quod non dedisset, injuria eripuisset; et fata deprecari puerile sit ac stultum, quae nec auditu pollent nec semel quae terris abstulere, ad reddendum exorantur. Dudum itaque ab hac humanae infirmitatis necessitate liberatus, nihil equidem objurgo fata, nec de immatura morte filii lamentor, quippe quem non mortuum, sed a mortalitate ad vitam evocatum esse confidam, vel ipso teste M. Tullio Cicerone, (ut catholicos nostros praetermittam,) qui in Tusculanis Quaestionibus philosophatur, jussu scilicet nos cujusdam veluti magistratus ac potestatis divinae legitimo per mortis tenebras ad aeternam lucem transire, Dei beneficio, idque certe eo majore etiam gratia, quanto maturius. Tantum igitur abest, ut, quem spiritum filius meus in hoc excessu edidit, ultimum ei fuisse dicam, ut etiam tunc primum eum vivere incepisse firmissime credam. Quod autem hic jam nobiscum non est, desiitque in carne vivere, nihil sane novum aut inusitatum pertulit, neque ego illum amittendo, quem in

summa felicitate habebam, experior rem incognitam. Multi quidem insignes ac praeclari olim exstitere viri, qui filios et ante tempus et praeterquam voluissent, amiserunt, suasque tantae orbitatis calamitates aequo et magno animo pertulere, humanitatis non immemores; vosque ne per innumera exempla multarum nationum circumducam, unum Romani hominis referam, L. Bibuli, qui quum ob injuriam in consulatu a collega C. Caesare acceptam, annum domi velut in tenebris latitando summo moerore doluisset, postridie quam de duobis filiis in Aegypto caesis nuncium accepit, in publicum amplior pro majestate consulari ad solita officia prodiit, eaque ipsa die, qua geminum funus natorum extulit, luctum deposuit, et duplicem calamitatem maximo intervallo, maximeque dissimili ratione discrepantem pari constantia aequavit. Id, ni fallor, solum agens, ne et muliebriter de re irrevocabili lugere argueretur, et injuriam ab homine, quam a morte illatam graviorem iniquiusque esse ferendam demonstraret. Jam quota domus usque est mortalium, quae fuisset sine funere? Quotus repertus pater, qui liberorum privationem non cognorit? Domus quidem nulla, parentes vero admodum rari, iique dumtaxat soli, quos filii sepulturae tradiderunt. Publica itaque et communis hominum mori conditio est, eamque nobiscum ex utero matrum afferimus, mortique obnoxios mortales procreamus. Nec alia lege nos genitores nostri ad diem reddendos naturae susceperunt, quam nostri nobis traditi sunt. Ideo si summo omnium operum formatori atque artifici Deo natos ex nobis tanquam depositum quoddam restituere, quum exegerit, teneamur, eosdem brevi sequuturi, quos praemiserimus: quid est, quod tantopere pertur-

bemur, reddendo aliena? aut etiam si id ipsum facimus, facimus dolentius atque cunctantius? Nam si moriendum est omnibus, et bene mori nemo est, qui non cupiat, mori, me Hercule, non inviti debemus, ut necessitate, quae repugnantibus tormentum est, et volentibus nulla imponitur, minus affligamur. De brevitate vero vitae nihil similiter lamentandum, sed ex honestate illius, annorum diuturnitatem metiri. Sat enim diu vivitur si sat honeste. Quum alioqui et sapientes multi crediderunt, non nasci esse felicissimum, proximum vero, quam citissime mori. Hincque philosophorum vitam et Plato et Socrates totam volebant esse debere in commemoratione et contemplatione mortis, idque non, ut eam horreremus, tanquam quodpiam malum, aut vitae praedonem, sed ut ductorem et comitem ab obscuritate ad splendorem, a laboribus ad quietem, ab imis ad summa, a periculis ad securitatem, a transituris ad aeterna, ad supremum denique bonum, quod non fures, — ut jam et catholice loquar — non tineas, non hostes expavescit, et quod oculus non vidit, non auris audivit, neque cor hominis obrutum mole corporis, quale et quantum sit facile apprehendit, et insuper ubi pro fletu risus, pro tristitia gaudium, pro minimis maxima rependuntur. Quid igitur? Adhuc ne existimatis me, meam aut metuere mortem, aut unici et suavissimi filii acerbam putare? At certe non illam ego pertimesco, neque acerbam puto, postquam evitari non potest, et tantorum nobis est bonorum causa. Ignaris tantummodo et voluptatum servituti addictis acerbam et pertimescendam esse credendum est, quos ut illuc ad poenas abducit, ita hic exstinguit cum memoria. Nos, qui veritatem, ipso filio Dei Jesu Christo

tradente cognovimus, et a Paulo ejus apostolo, mansionem nobis non esse in terris traditam, sed in coelis repositam, si carnem vicerimus, et humana, brevia, caduca, incerta atque fallacia contempserimus, didicimus: decet sane nos scire, nomen dumtaxat et opinionem mortis esse terribilem, ipsam pavendam minime, vel etiam, in quo clarissimi philosophorum consenserunt, optimum fuisse naturae inventum existimandum, quippe quod homines ex tot malorum atque curarum voluminibus, ex tanta rerum terrenarum varietate atque inconstantia, quasi e quodam procelloso mari mors ipsa in portum educit. A quo ne ipse quidem dissensi unquam, teneoque firmiter, immortales ac divinam rem esse animos nostros, eosque in haec corpora, velut in carnales compedes a patre luminum demissos, ut etiam in terris essent, qui coelestia contemplarentur, donec deposita carnis sarcina, factoque divina dispensatione loco posteris, in patriam reverteremus ad plasmatorem nostrum patrem, et redemptorem filium, ad illum inquam filium, Jesum Christum, qui assumpta humanitate a Maria virgine sanctissima, tantum de nobis morte et sanguine suo benemeruit, ut et justificarit nos, et in fratrum jus atque consortium adoptarit, secumque in paradiso cum angelis esse voluerit, non ut hospites et peregrinos, quales eramus in terris, sed ut indigenas coelorum, et veros cives ac domesticos Dei. O, quanta isthaec est quum cogitanti, tum credenti homini consolatio, quanta mortis et carnis victoria, quanta postremo seu in humanis casibus alacritas, seu in caeteris naturae nostrae incommodis perferendis facilitas? Verum, ut ad filium meum redeam et huic disputationi finem imponam. Deflere

quidem ac lugere mortuos, naturale, scimus, homini est, et amissionem filii, gravissimum mortis morsum esse, quis ambigat? Sed tantum abest, ut ego graviorem aliquem vel dolorem vel angustiam de occasu ejus habuerim, ut, nisi esset impium et a sapiente alienum, multumque etiam a beatiore vita abesset, meum sane optarem, ut eo, ubi vivitur, celerius evolarem. Filius vero meus quid aliud dimisit, quam quod erat dimittendum? quid adeptus aliud, quam quod desideravit — aut desiderare certe debuit? Quod si paulo prius, quam voluisset, decessit, utique tamen paulo etiam post decedendum fuit. Nec, coeci, perspicimus, mille in carne annos hesterni diei spatio prophetam Davidem comparare. Jam itaque, amici viri clarissimi atque iidem etiam optimi, quantum id calamitatis doleam aut egeam consolationis, plane, ni fallor, cernitis. Caeterum vos potius consolandi, et a luctu revocandi mihi esse videamini, in quorum litteris praeter dolorem et lacrimas nihil viderim; plusque, edepol, si creditis, de vestro dolore, in quem vos mea causa conjecistis, videor mihi doloris hausisse, quam attulit vulnus domesticum. Verum mihi ex hoc ipso vulnere quicquid doloris aut moestitiae accidisset, nec enim non omnino accidit, utpote homini, illud tamen totum ea sola consolatio levavit atque abstersit, quod amisso uno filio, tot amici, viri tales relicti sunt, qui meum casum quam ipse magis doleant atque deplorent. Valete felicissime. Kal. Octobris MDXLVI. Cracoviae.

XCVII.

Gorka Endrének Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Gorcano, comiti et castellano Posnaniensi illustrissimo ac militiae Polonicae maximo summo duci S.

Mutuum, quod a te aureorum numum centum [1546. oct. 2.] per Jacuinum familiarem meum petieram, Petrus Cirnicius cubicularius tuus reddidit mihi integrum, eaque apud me omnia diligenter est exequutus, quae in mandatis habuerat. Caeterum etsi sciam te apparatiore agendarum gratiarum genere pro animi tui moderatione non delectari, ab iis praesertim, quos tuos esse cognoscis, quique id verbis potius, quam re praestare possunt, tibi tamen, quum ab officiis ne tenues quidem fas est recedere, plurimas ago gratias, meque pro munificentia ista tua atque amore in me singulari omnibus modis, quicunque in me esse poterunt, gratum erga te fore polliceor. Consilium etiam de meo in Transsylvaniam reditu, tua quidem gravitate atque prudentia non indignum, mirifice complector, eoque non solum consolor, sed etiam confirmor, quod a vera benevolentia, quam in multis rebus saepe jam expertus sum, profectum esse intelligam. Nec praetermittam, mihi crede, ullas rationes atque conatus, ut tum honeste, tum cum dignitate non diminuta, redire possim; quandoquidem ipse quoque a sententia tua non dissentiens, diu jam huic ipsi stu-

dio omni cura atque industria incubuerim. Nec id omnino vana opinione, quum et litteris amicorum, illinc datis, ad spem magnam quotidie erigor. Sed quod hucusque nihil est, uti volebamus, ea ipsa in re transactum, publica obstitit perturbatio, quae a querimonia reginae contra Utissenium, puto, non sponte ipsius, sed suorum stimulatione, exorta fuerat. Eam tamen, ut ad me scribit amicus quidam, existimo jam esse complanatam, sic enim habent ejus litterae: Hic tumultu domestico omnia nunc sunt perturbata. Scis quo pacto conveniat inter reginam et Utissenium. Illa petit suam dignitatem sibi reddi, et administrari redditus, ille suffugia quaerit et secus meditatur. Petrus Petrovius nunc tandem officii sui virile specimen agressus est. Sapienti pauca. Pathocius, Kendinus et Petrus Marcus, immo et nos omnes summe laboramus in concordia, nec omnino futuram desperamus, quod jam conditiones, easque non iniquas videamus. Proinde nunc tua prudentia magnopere esset necessaria, ut, quae olim meditabare, hac demum occasione, et regno inservires, et ingenuitatis tuae robur depromeres, quantique semper feceris principem, palam, quod secure liceret, declarares. — Sed hoc postremum, quo etsi nonnihil sperare jubear, quod illic adhuc non exciderim, tamen non erat necessarium, me ad tantas ampullas extollere, idque, ut ab amico, aut joco dictum, excipiendum est, aut si omnino ille sibi sic de me polliceatur, humanitati ejus ac desiderio, quo mei teneatur, tribuendum. Quamquam alioqui probe novit, me in re tum regni, tum principis ejus nunquam repidum, nunquam somnolentum, nunquam ignavum exstitisse, futurum vero posthac, quod audeo dicere, si Deus votis aspirarit, etiam acriorem.

Quandoquidem saepe fit, ut ingenui atque insignes animi soleant lapsu velut aculeo quodam non ingrato commonefieri ad virtutem, et ad praelara quaeque diligentius capessenda excitari. Nota sunt multorum illustrium virorum exempla, qui a lapsu, ut fortiores ita et gloriosiores resurrexere. Verum qui nobis flabunt venti, his navigabimus, et eum portum tenere adnitemur, quem tu ostendisti. Puto autem, quod me non poenitebit tibi paruisse, cui ultro addictus esse velim, tibique equidem quicquid aut afferet nova fortuna, aut novata referet, quum et tua commendatione apud reginam uti cupiam, id totum libens debebo, et soli acceptum feram. Hunc animum in me, nec temporarium esse, velim, arbitrere, nec nunc primum fortuito alicunde mihi advolasse, tamquam aestivas quasdam aves, quae hiemem nobiscum non exspectant. Vetusta quidem certe mea isthaec est in te dilectio, eique nullus novus cumulus additur, quoniam est cumulatissima, sed tantum sedulitati ejus frequentiore memoria, velut aestu mari, fervor quidam adhibetur, ut perseverantius in tui observantia mente haereamus. Confidentius, vides, objicio me gratiae tuae. Et nescio an vereri debeam, ne quod quidam de ultroneis mercibus dixere, incipiam apud te vilescere. Verum id nec morum impudentia, nec amicorum inopia facere me certum est. Animi tui praestantia atque ingenii moderatione devincor, quo neminem credo non capi, cui vel tenuiter apud te complecti contigerit. Et haec fortasse adulanti similius, sed ignosces tamen, neque hanc suspicionem in animum admittes. Memineris tantum sic agi cum tenuibus et cum multum amantibus. Utrique enim semper timent, ne parum se se insinuarint, quibus aut ii amore, aut illi

aere maxime debent. Ex Transsylvania, donec hic ero, quicquid aut mearum aut publicarum rerum accepero, diligenter tecum communicabo. Quod Jacuinum meum tam amanter de valetudine mea quaesiveris, habeo gratiam. Ea mihi solius naturae beneficio et frugalitate victus, non parum etiam exercitio restituta est. Nec ullo aut medicinarum aut thermarum remedio usus sum, quo cognitum est, non alio morbo me laborasse, quam cruditate stomachi, quam diutina repletio causaverat. Nunc ea sum corporis firmitudine, qua quidem longo spatio ante aegritudinem non eram. Utinam et fortuna reparetur, ac aliquando possim declarare, quanto studio et reginae meae commodis prospicere et tibi aliquo immortali beneficio gratificari desiderem. Bene vale. 2. Octobris 1546.

XCVIII.

Laski Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Lasco palatino Syradiensi illustrissimo S.

Etsi nunc scribendi ad te nullum mihi offereba- 1546. oct. 6. tur argumentum, quod esset ejusmodi, ut aut te quippiam magnum ex me scire oporteret, aut urgens aliqua rerum mearum ratio postularet, quemadmodum inter absentes fieri consuevit: tamen illud nunquam deest, nec omitti quidem potest ullo tempore sine gravi reprehensione, quo saepe studia ac voluntates nostras erga eos probare debeamus, quos amandos atque colendos nobis proposuimus. Quandoquidem et charissimorum frequenter non recordari inhumanum est, et eorum, a quibus aliquando plurimum tum honoris tum humanitatis percepimus, non indies novis officiis benevolentiam in nos demereri, nimis quidem incivilium et prorsus ingratorum hominum esse, non est dubitandum. Quare ne id reprehensionis in me torqueri posset, brevi hac epistola offero et commendo tibi obsequia mea, atque oro vehementer, ut me vetere apud te loco velis esse, quod equidem magno te ac liberali animo facere cognoscam. uti es et ingenio magnanimus et genio liberalis, si officiis meis meaque opera uti non dedignabere, meque eum esse existimabis, qui tibi tam praestanti viro quum gratificari tum charus esse magnopere studet. Et quam-

quam magnum quiddam polliceri ego de me tibi non audeam, quum praeter parvitatem nihil habeam, te tamen propter animi tui excellentiam ut mirifice amo atque diligo, ita omni studio et colere et observare animus est. Quantam autem et quam celebrem, creberrimamque tui mentionem in Galliis fecimus proximae aestatis exitu cum Francisco Russocio, dum et privata quaedam et publica occurrerent, non dubito, illum, expletis aliis rebus sui muneris, de his quoque nonnihil attigisse, et meum tam erga te, quam erga regem tuum Sigismundum Augustum cumulate animum declarasse, ob id ego scribere supersedeo. Verum Galliarum regis gener esse poterat, si alia consilia fuisset sequutus, quam quorum non satis honestum exitum pertimescimus. De aliis quod scribam non habeo, nisi quod Franciscus tuus eam legationem et prudenter et magnifice et summo cum decore Poloni nominis confecit. Me, ut favore et gratia tua complecti velis, cupio vehementer. Vale quam felicissime. VI. Octobris 1546. Cracoviae.

XCIX.

Utissenics Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Utissenio episcopo Varadiensi, et in Hungaria ac Transsylvania proregi S.

Habemus jam quotidianis authoribus, caesari- 1546. oct. 10. res in Germania ex sententia succedere. — Habet florentem et validum lectissimorum hominum exercitum. Agit cum adversariis cunctatione Fabii Maximi instituto, evitans omnem caedis occasionem, quod et de turbae inconstantia persuasum habeat, et quod collaticias vires sub multis ducibus diu in disciplina permanere difficile posse, non ignorat. Qua ex re nuper quoque ab iis ad dimicandum provocatus, renunciavit, caesarem non decere ferro cum subditis, sed imperiis decertare, eosque oppido prudenter et in rem suam facturos, si prius ad officium ultro redierint, quam injuria compellantur. Unde jam duces eorum Joannes Fridericus Saxoniae dux et Philippus lantgravius Hassiae, tracti ejusmodi caesaris dilatione diutius, quod et impensis destituantur, et vident augeri indies caesarem novis copiis, spem omnem rerum suarum abjecisse, deposita etiam belli pertinacia, fracti esse vel propria opinione perhibentur. Caesar vero accessione hujusce fortunae elatus, aequa utrumque damnatione dicitur proscripsisse, et ditiones eorum cum fortunis non solum militi, sed etiam publicae omnium hominum direptioni exposuit, subje-

tis huic poenae etiam privatis universis, quicunque eorum castra sequuti, eosdem deserere noluissent. Idque ea de causa, ut illi sic facilius debilitarentur, et adigi ad deditionem possent. Nec prius miseri et male consulti errorem animadverterunt de facultate data caesari, non sine magna sua ignavia, colligendi sese in solo suo; seroque poenituere, et jam non cogendis neque ducendis copiis cura occupantur, vel potius vesania tumultuandi rapiuntur. Dimisso in confusione exercitu, dicuntur ad incendium domesticum restringuendum ambo praecipites abiisse, plebem vero ab eis, ut scopas, dilabi dissolutas. Nec cuiquam est dubium, ubi ii duo succubuerint, confestim caesarem ad Augustam, Ulmam atque Argentinam, tres nimirum civitates, lantgravio et Saxoniae Duci animis pares, et inter caeteras, quae liberae appellantur, opibus et potentia primas, vim atque arma admoturum. Quam victoriam, si ad finem feliciter perducet, ut jam incepit obtinere, jugumque imponet Germaniae, a quo haud multum abest, nunc sane demum et imperatorem maximum et caesarem divum atque augustum fore quis dubitabit? quum et Gallus demissius cristas vibrabit, et Turca rebus secundis cautius confidet, et Roma Venetiaeque trepidabunt. Ut res humanae offerunt sese pro varietate sua, sic de his est ominandum. Atqui hoc momentum fortunae Caroli magnum quidem gradum ad ejus felicitatem videtur afferre velle, quod utinam, sicut illi futurum est gloriosum, ita et publico eveniat beneficio, Hungariae praesertim, quae jam et servire tyranno didicit, et extrema rerum suarum meditatur, cervice inclinata. Quod autem ingentia sint, et christianis rebus profutura, quae cogitat atque molitur, si modo ab armis ad evangelii

professores persequendos extinguendosque non convertetur, quod fore passim creditur, nemini dubium esse debet. Quippe qui, retentis Flandrensium auxiliis XX M. et Mediolanensium X., constans fama est, hiemem otio non exacturum, caeterum et in annum insequentem reservaturum tam electum exercitum contra Turcas, si quoddam induciarum foedus, de quo multum somniantur, obstiterit, eoque freti, a Christianorum sanguine non desistamus. Verum vos interim, his ejus progressibus sese sic habentibus, quid consiliorum inire oporteat, quibus attemperare rationibus ac eventis rerum conveniat, qui Transsylvaniam gubernatione obtinetis, ne et a publica multorum hac nova maximarum occasionum fiducia excidatis, et apud hunc victorem tanti belli, quum vestra, tum regii istius pueri, cujus praecipue rebus et fortunae studetis, cujusque auspiciis etiam nunc utique conservamini, omnia difficiliora efficiatis, monere tantum officii mei est, non consulere. Sed si consilium quoque exigitis, operae pretium factu illud judicarem, ut occulta saltem fide, si aperta propter Turcae vicinitatem nequitis, fortunam vestram Caroli successibus adjungere curaretis, idque mature, cui etiam, qui ejus arma nec viderunt, nec senserunt, ultro sese subjiciunt; ne postea si sero veneritis, excludamini, tanquam ii, qui non amore sed necessitate voluntatem commutassent, sicque et vosmetipsos et Puerum istum, cui toto conatu vestro prospicere debeatis, in ruinam praecipitetis. Valete. 10. Octobris 1546. Cracoviae.

C.

Gorka Endrének Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Gorcano comiti illustrissimo S.

1546. oct. 14. Horatius civis Patavinus, vir nobilis, et Paulus Paulinus, Ragusio oriundus, familiarius tuus is, ille hospes, venientes per hosce dies abs te Cracoviam, ambo, quamdiu moram hic fecere, familiariter usi sunt mea consuetudine, quod et is in Dalmatam gentilem suum inciderat, et ille notitiam cum homine in Italia versato habere voluerit. Interim vero, cognita mea erga te observantia, fortasse etiam de gratia tua, qua tu me jam pridem complecteris, aliunde edocti, postularunt meis tibi litteris commendari. Quod ego etsi superflue apud te facturum me crediderim, quem non ignorem, pro dignitate ac splendore suo, omnes homines etiam ignotos, non humanitate solum et favore, sed etiam ope et munificentia sponte et natura sua benignissima solere prosequi : tamen ne a me, homines, ut conjicere potui, probi, parvi facti fuisse viderentur, haud neglexi officium, sciens, te ingenue, pro tua integritate judicaturum, nihil me unquam velle de tuo mihi animo arroganter polliceri, omnia alioqui ab eodem sperare non dubitare, quae in maxima quidem gratia ac in summis beneficiis reponuntur, tanta mihi religione, verecundia ac ratione coleris et veneraris. Sed tandem ipsum Horatium, Paulumque,

immo et me ipsum aeque cum iis quam maxime et quam diligentissime possum commendo. Nihil de utriusque horum futura gratitudine dubitans, nihil de mea solita devotione ac fide non pollicens. Vale. 14. Octobris 1546. Cracoviae.

CI.

Helm Remigiusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Remigio Helmo suo S.

Summam voluptatem attulerunt mihi litterae tuae, 1546. oct. 18. quod ex his, quasi quae, quod ajunt, manibus tanguntur, plane cognovissem, quam me vere diligeres. Quod et si alias habuerim semper perspectum diversis rationibus, ex ea tamen commendatione, qua nuper apud illustrem palatinum Cracoviensem Kmittam magnifice ac luculenter me in clarissimorum virorum coetu extuleris, altius sane, nescio quid praestitisti, et magis arcanum penetrale quoddam benevolentiae tuae erga me videris mihi aperuisse. Pro quo quidem amplissimo officio, sempiterna gratitudine, meritissimo eas habeo tibi gratias, quas maxumas possum, relaturumque etiam longe quam maxumas polliceor, si quando is usus sese obtulerit, ea largitate aspirarit fortuna, qua tanto studio atque affectui tuo, quem in me geris, respondere potero vel in parte saltem, quum fieri par minime sperem. Verum quicquid in hac ipsa gratitudine referenda defuerit facultati, supplebit ani-

mus, cumulabit conatus, et quotidiana officia adaugebunt, quae quamquam singula parva erunt, si tamen fuerint assidua, uti futura recipio, efficient aliquot magna, ex quibus postea facilius maxima exspectabuntur. Quantum autem cupierim pro officio meo palatinum ipsum convenire, quum hic aderat, testis te mihi nemo est melior. Quum enim ille totis diebus apud regem publicis curis detinebatur, nemini privatim vel tantisper vacare poterat. Ideo rogo te, cognosce, quamdiu habiturae sunt eum Vissniciae, quamque brevi Cracoviam denuo est revisurus. Quod si hoc est facturus, potius hic opperiar advenientem, sin illud, istuc me actutum conferam, nec officium meum desiderari sinam. De vinculis vero ac rationibus nostrae necessitudinis, deque dexterarum nostrarum quasi symbolo et mutuae fidei pignore, quod nos in unam voluntatem diu jam copulavit, adjecto, non est, quod multis rescribam, nisi ut, quae verbis magnifice ambo saepe alias in hanc ipsam conjunctionem nostram promisimus, ediximus, confecimus, usu ac veris effectibus indies comprobemus. In quo tamen non video te hortationis egere, egregie enim fungeris parte tua, mihi quidem occasio tantum deest praeclari alicujus edendi erga te argumenti, quum animo facio nihil magis, quam ut par pari referam, amatus redamando. Nova, quae scribi ad te desideras, equidem non jam admodum multa possum, post illa, quae de felici successu caesareo acceperamus. Ajunt enim eum gravissimis et capitalibus edictis cavisse, ne quis quaepiam efferre audeat ex Germania. Qua ex re alii ominantur bene, alii secus; ego certe, quod caesaris consilium et prudentiam saepe soleam laudare, ne in hoc quidem improbo industriam, et satis est ducem

Saxoniae cum collega suo, magna ex parte animos demisisse, summoque laborare periculo, tametsi Saxonem ipsum proditum dicant a lantgravio, solumque jam incepta urgere et augere conatus non desistere. Reliquum est: Jacobum Prilusium virum doctum et candidum, mihi veterem ac summe amicum meis verbus salutes, oro, peramanter. Tibi vero vacationem interdum a poculis magnopere desidero, si vis, ut salutem precer. Nam nisi haec ex usu tuo rejeceris, equidem nescio, quo te pacto valere dicam. Audio enim te non ita pridem, idque etiam saepe alias, ita potu fuisse obrutum, ut oppressum amici crediderint. Ego sane doleo, tuo te malo officiosum esse consuevisse. Verum ne epistolae desit sua catastrophe, addam, bene vale atque optime. 18. Octobris 1546. Cracoviae.

CII.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Cziacchio suo S.

1546. nov. 8.

Litteras tuas, praeterquam unas, jam ab idibus Augusti non accepi, hisque unis dumtaxat hactenus solatus sum angores meos, et in spe perstiti, quam obtuleras. Sed quid in causa fuerit, quod postea non scripseris, neque quicquam nunciaris, nihil sane possum certi mecum excogitare, tametsi multa et varia occursant aegrae menti, quae possent accidere, eaque votis quia sunt omnino contraria, quod magis plerumque meditentur, quae timentur, vehementius laboro, et in quaedam quasi tormenta atque cruciatus animi devenio. Ne itaque in hunc modum dubia exspectatione discrucier, oro te per utriusque nostrum vitam, te enim solum scio, meam ut tuam curare, renuncia tandem aliquid vel per tuorum penatuum quempiam, si non licet remitti servos meos. Etenim quid demum in alterutram partem sit futurum, quod expetimus, prorsus jam videre percupio, ne sic diutius pendeam, cum jactura et honoris et temporis, et fortasse talium occasionum, quae serenius nobis arriderent.

Paulum proinde meum quacunque via et ratione poteris, cures ad me emittendum. Unicus enim reli-

ctus est mihi, quo in reliquum consiliorum rerum mearum comite uti possim, eoque si quo casu privarer, ut caeteris, qui me cum feliciore fortuna deseruerunt, privarer, mihi crede, dextera, vel etiam mei ipsius dimidio. Vide igitur, ut eum quamprimum apud me habeam. Martinum vero extremae utique deliberationi retineas, si quid modo restat adhuc ad agendum, neque jam de re tota sit peractum. Plura in posterum scribere, fortasse frustra est, supersedebo itaque, nisi quippiam tute jusseris, et demonstraveris rei meae fore opportunum, quandoquidem in benevolentia, in fide, in consilio tuo omnia mea collocavi tanquam in arce et in asylo. Vale. Octavo die Novembris 1546. Cracoviae.

CIII.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Cziacchio suo S.

Decretum erat, litteras ad te non dare interim 1546. nov. 11. donec tuis admonerer, sed non sustineo, dum ejusmodi quippiam incidat, ne, quo ea animo feram, tibi non significem, praesertim si qua tibi in re cautum esse velim. Graves enim istic perturbationes suscitatas, easque latius pene in publicam perniciem serpere, et extremo incendio fomenta parturire, gravissimorum hominum litteris huc affertur. Nec dixi quidem miras, quoniam non sunt novae, neque inauditae, sed eaedem saepe alias repetitae atque instauratae,

et vel nobis duobus, inter summates nostros aliquando, qui sic nunc propter potentes in angulis abditi, regni vices deploramus, non sine et nostro periculo, et sceleratorum hominum displicentia palam improbatae. Et scio cujus fortuna ac splendore quidam offenduntur, nequeoque sane non eorum quum levitatem et inconstantiam, tum vanam, inutilem, et seditiosam, ne dicam exitiosam in republica nostra audaciam arguere et abominari. Inter quos quidam in summa egestate ambitiosissimi, quidam in satis conspicua tenuitate impudentissimi, et quidam in ultra modum ac merita divitiis avarissimi et ignavi quum sint, nihil magis quam cupiditates suas intuentur, regnum an stet, an ruat, juxta habentes. O miseram et infelicem Hungariae conditionem horum ductu atque imperiis. Obliti siquidem homines consilii, obliti studiorum et voluntatis pene omnium mutuo conjuratae, et de industria prius a singulis solerti cura atque consensu quaesitae, violenter volunt illum opprimere, et de puppe, quod dici solet, exturbare, quem ipsimet ipsi inquam ii nostri optimates sponte sua publicorum comitiorum suffragiis, confirmato primum in quaestura, deinde ad proregis magistratum electo, et postremo ad jus dicendum et Hungaris et Transsylvanis facto judice, nomineque isto aequabili, propter invidiam velato gubernatoris titulo, summae quidem totius gubernationis rerum suarum, velut in manu clavo illi tradito, non alium, Hercle, quidem, quam gubernatorem sibi crearunt, et eo magnitudinis evexerunt, ut praeesset et dominaretur omnibus, huic decreto ne Deo quoque Optimo Maximo refragante, Turca vero etiam consentiente, visa in hominem omnium voluntate tam constanter inclinata atque con-

jecta. Quid igitur maturant ii apud se, viderit exitus. Meo tamen vetere judicio et quotidiano metu, regno ultimas calamitates accersunt, et puero isti regio, ejusque matri miserrimum exilium parant, exitium sibi et servitutem advocant. At ille, quam egregie, quam viriliter agit omnia, felicitas ejus, horum odia atque invidiae declarant. Sed tandem, o, si jam vel quotidianis, hisque domesticis multorum, et recentibus exemplis, quorum alii apud Turcam, alii in Austria poenas luunt, multi in Turcia fide oppressa serviunt, plurimi hic illic profugi concidunt, ab ejusmodi ineptis et minime prudenter susceptis contentionibus desisterent, si alienis et veteribus nolint, ferrentque saltem patienter ejus vitae reliquum, donec naturae succumberet, postquam nec amare illum volunt, nec valent tollere. Caeterum intuerentur in eo, quantum et gratia divina exuberat, et virium ac dignitatis fortuna congessit, si et sufficientiam illius ex invidia contemnunt, et beneficia, quibus quum reipublicae status, tum privatae res omnium eorum hucusque inviolatae permansere, pudore aversantur. Sed haec surdis occinimus. De quibus forsan brevi coram liberius et securius. Tu interim Daedalum agas, caveasque, ne aut nimium calere, aut frigere velis. Saluberrimum erit temperamento uti in actionibus hujus temporis. Medio, inquit poeta, tutissimus ibis. Scis in his dissensionibus non posse evitari periculum, utramvis factionum partem sequutus fueris. Quid igitur? Quid? Hoc, inquam, ut ad concordiam et pacem conferas tua consilia, tuas sententias, faveasque nemini soli, nisi cui soli omnes parent. Sic et pro me felicius laborabis, et valebis diutius. Bene vale. 14. Novembris 1546. Cracoviae.

CIV.

Csáki Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli Cziacchio suo S.

1546 nov. 17 Aegre fero tuam taciturnitatem. Nam diu est, quod ad me nihil scripseris. Meae vero litterae postremae ad te fuerunt, quas per Mathiam cursorem polonum miseram. Verum quid demum de negotio meo fit, cur ejus differatur de die ad diem expeditio, nihil prorsus divinare possum, et mora atque expectatione illius, nimis sane torqueor, neque, quid aliud dicere debeam, scio, quam quod in te, et in fide curaque tua adhuc conquiesco, nullum dubium habens, me juvari omnino plurimum opera tua, et a te solo pro amicitia nostra de his omnibus nuncium esse accepturum, quid tandem in eo ipso negotio sit confectum, quandoquidem omnes alii, quos ad hanc opem vocaveram, respuerunt mei procurationem, adversa mea fortuna territi. Tu itaque, qui me propter felicem non dilexisti, oro, cures, ut in te uno pro mea spe et tua virtute reperiam candorem, quem hoc saeculum in paucis ostendit, meque hoc et malo, quantum potes, et taedio quam citius potes, libera.

Scribe etiam nonnihil de his, quae istic agantur, presertim de publicis perturbationibus, nuper suscitatis. Sint ne restinctae, an non. Mirifice enim doleo de quorundam inquietudine, qui quum nihil possunt, omnia tamen summa exordire audent, moxque in me-

dio opere relabuntur, non sufficientes ausis suis. Unde et principis rem adigunt in deterius, et omnium statum ac spes evertere festinant. Georgio vero Utissenio proregi suo atque judici, cum quo jam amore, non vi agere eos oporteret, quem ad supremam potentiam extulerunt, omnia faciunt suspecta et metuenda. Ex quibus quid postremo sit sequendum, judicent alii. Verum ubi est metus et suspicio, ibi de hostilitate cogitatur. Vis vero vi repelli solet, et amorem amor parit. Tu igitur concordiae et paci stude, ac privatorum sensus devita. Vale. 17. Novembris 1546. Cracoviae.

CV.

Batthyány Orbánnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Urbano Bathiano S.

Ossecius Polonus cum reginae mandatis pridie nonarum Martii proficiscitur in Poloniam. Si quid itaque litterarum daturus es ad Joannem Tarlonem, amicum tuum novum, hoc tabellario commodo uteris. Est enim juvenis humanus, moribus non obscuris, et observat te plurimum. Tarlonis autem titulum, in quo laborare videbaris, propter quarundam nationum nostri saeculi in hac re superstitionem, integrum in epistolae hujus calce ascripsi. Caeterum Italus mihi est adolescens, Hieronymi Jacuini familiaris mei, viri probi, et civis Venconensis filius, non omnino obscure natus, qui quum nunc primum de grege, quod dicitur

1547. Mart 2.

captus est, et rudis et incultus est, cui propter parentis multa et varia erga me officia, et servitutis non postrema merita, magnopere cupio prospicere, idque vel hac sola opera, si nunc non datur alia, ut excussis cunabulis, in quibus adhuc volutari sibi videatur, in virum excoleretur. Id autem hoc tempore apud me minime potest consequi, quia sodalium contentionem non esset habiturus, qua plerumque adolescentes excitari ad ingenium solent, juxta tritum illud proverbium: ut ferrum ferro, sic ingenium ingenio acuitur. Eum itaque tibi potissimum traderem, si modo id a me oneris vice non esses accepturus. Porro nulla illius cura sive ratio peculiaris, ut delicatorum haberi solet, erit gerenda. Inter gregarios, vel etiam magis in postremis sine ullo respectu poterit ascribi, ut hungaricae institutioni latios spiritus, exemplo plurium, ab ipsa tenuitate principii per gradus quosdam summittere assuescat, quod apud me, uti jam dixi, nequit illi contingere propter tum patris ejus consuetudinem, tum propter meam praesentis temporis fortunam, quae vix trium aut quatuor servorum comitatu nostram existimationem tuetur, iique mihi ita indulgenter, ita citra arctiores aulicae vitae numeros habendi sunt, si constantes esse velim, ut imperio nihil agam, et cum dexteritate omnia. Apud te autem quum sint omnia ampliora, et aulae servatur forma integra, hoc etiam ad frugem adolescentis mei accedet, qui ex commercio majoris et diversae conditionis sodalitii linguam quoque et celerius et purius discet istic, morumque licentiam, quam Italia concedit suis largiorem, facilius astringet in nostros, ubi sine indulgentia cum nobilioribus et ditioribus se eadem onera, eadem ministeria, sive sordida sive

gravia obvenerint, obibit, atque interdum verbera etiam et vituperia experiri ac pati cogetur. Addictum itaque tibi adolescentem hunc tanta mea fiducia, oro te, recipe in domum tuam, quod non minore decore tuo, quam ejus beneficio futurum spero, quod est pro aetate satis scitus, genereque ut nobilem et fide integrum, ita et ingenio non agrestem fore polliceor. Mihi vero vicissim tu quicquid injunxeris unquam, aut oneris imposueris, id me minime gravate laturum, illud impigre facturum, curaturumque, certo scias hocque eo quidem certe studio, ea alacritate animi, de quo tibi non nunc primum constitisse confido. Novi post discessum tuum nihil aliud successit, quam quod celerrimum proregis nostri reditum ad reginam nunciarunt. De causa nihil additum. Ego vero his Dionysiis gnaviter instititi, ut a principe audiri possem, quod quamquam hactenus non negavit, distulit tamen in plures dies propter tripudiorum et chorearum tempus, quo seriis vacare noluit, ut quoniam apud eam, viduitatis gratia, non saepe ridet Apollo, integra ejusmodi animi recreamenta perciperet. Tu me ut hucusque semper, sic semper posthac amare velis, oro. Nam et ego ea tibi ex me offero officia, quae in paucos conferre soleam. Vale 2. Martii **1547**. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CVI.

Gorka Endrének Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Gorcano illustrissimo comiti S.

1547. mart. 7 Nihil ad te a meo in Transsylvaniam reditu dedi litterarum, quia in rebus meis confectum adhuc non solum erat nihil, verum ne agi quidem inceptum quicquam propter absentiam proregis nostri, sine quo scena haec nequit confieri, quum omnes ejus actores ex illius nutu dependeant. Mirifice autem cupiebam ea de re ad te perfecti jam et certi aliquid scribere, ut quem in priorem fortunam restitui pro amore, quo es in me, tantopere desideraveras, restitutum plane cognoscendo, laetari ex toto potuisses. Sed postquam etiamnum ab eventu vobis est exspectandum, opportune mihi interea temporis multorum animi erunt ad favendum conciliandi. Nec dubito felicius cessurum, quicquid sublata rei benegerendae tumultuaria festinatione, consiliorum maturitate et instructiore fautorum apparatu perficietur. Et quamquam gravium ac summorum hominum gratiae existimentur ab ingenuis majores atque jucundiores esse, quae spontaneae sunt, et ex animi magnitudine, non emendicatae, non extortae, neque emptae proficiscuntur: sic tamen voluit depravatissimus usus saeculi nostri, ut, nisi magnis cumulis precum et multis patronorum myriadibus caeterum et demissione plus quam getica aut phrygia, ne dicam, ad pudorem usque abjecta impe-

trentur, vilescere sese, et nil esse, quicquid praestiterint, arbitrantur. Hoc idem et in liberalitate utenda, et in ope ferenda facere solent, nihil munifice, nihil pie perfectum ab se judicantes, nisi et tuba, quae dederint, evulgarint, et egestatem amici in se confidentis universae civitati prostituerint. Verum non puto me in has cautes deventurum. Tranquillo hactenus mari navigavimus, et a portu jam non multum absumus, si modo felici principio finis optatus arridebit. Porro scito, hic omnibus gratum fuisse reditum meum, in gratia reginae nulla mora, nullum dubium, in Petri Petrovii favore omnia laeta, incerti nihil. In proregis vero tum oratione tum vultu, tum denique in promissis omnia magnifica et nihil non optabile, neque ex quo summam etiam in spem maximarum rerum adduci non deberem. Et tamen, ne quid omittatur, quod huc facere possit, omnes conatus ac nervi precationum, officiorumque nobis expendentur, omnium amicorum patrocinia admovebuntur, et postremo nullae relinquentur intentatae rationes, quibus posse nobis restitui pristinum statum nostrum existimabimus. Haec de privatis. Publica certe satis dura sunt, et acerba, nec minus, puto, nobis, quam vicinis, qui nobiscum eadem in navi sunt, periculosa. Turcae magna importunitate arcem Beczie nominatam, cujus petitionem, nescitur, quo fuco aut dolo malo nonnihil proxime intermiserant, nunc denuo non postulare solum, sed efflagitare inceperunt. Et nisi ultro quam celerrime dedita fuerit, eam minantur se vi recepturos. Quae intemperiae latronum omnes patres ac proceres nostros, in tantam sollicitudinem conjecerunt, ut prorsus nihil ea de re deliberare sciant. Sive enim dediderint, sive negarint, utroque regni discri-

men verentur, sed ex negatione majus atque celerius, quod barbari solas occasiones venantur, per quas ut Budam proxime, sic caetera quoque intercipiant. Sed ad Beczie. Arx est ad Tibisci ripam sita, paulo infra Zegedinum, Titulium et Varadinum-Petri versus, parva quidem satis, vel angusta verius, sed hoc tempore, interceptis reliquis locis in limitibus, ejusmodi opportunitate insignibus, tanti momenti habetur, ut pro ea omnes gentis hujus reliquiae aut commoveri non timebunt, ne eripiatur, aut, ut redimatur, magnam pecuniam effundere audebunt, quum unicum in ea regni parte, quae inferior vocatur, vadum est, quod aliquando tam Hungariae quam Transsylvaniae magnis fortasse occasionibus relictum videri poterit. De aliis rebus nostris, si quaeris, omnia perplexa, inquieta, dubia, discordia et male tuta sunt, ut fuere antea. Nec alia nunc. Nisi ut scias me ita gaudere benevolentia tua, tuique momoriam in meo pectore collocasse, ut ex me convelli, nisi mecum, minime queat. Reliquo meo officio is meus Hieronymus coram fungetur, quem, ut quam citissime dimittas, vel eo nimirum nomine, quod ad uxorem, annum jam Penelopem agentem properat, etiam atque etiam rogo. Vale. 7. Martii 1547. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CVII.

Anselmus Ephorinus orvosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Anselmo Ephorino medico S.

Jam pridem ut existimo, desiderasti meum officium in scribendo, atque accusasti negligentiam: forsan et tacito verberasti convicio. Quod quidem jure in me, nec enim inficior, et tu, *)

CVIII.

Tarlo Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Tarloni. S.

Inter multorum mandata, quae mihi Cracoviae 1547. mart. 7. ad reginam meam data fuere, tuorum quidem certe non gessi minimam curam. Quippe quod miram quandam animi propensitatem erga illam ostendebas, dum non contentus semel atque iterum, et demum saepius, idque longo temporis spatio his de rebus me instituere, quas apud ejus majestatem agere volueras, sed quoties mihi occurrebas, aut uspiam nos una esse contingerat, toties summa sollicitudine, atque amore, seorsum avocato eadem repetebas. Neque hoc, quod of-

*) A többi ki van szaggatva.

ficio meo diffidere viderere, quem jam multis ex locis didiceras, immo etiam plane credideras, ad maximorum hominum quum notitiam, tum maxime benevolentiam promerendam officiorum parsimonia non teneri, esseque sane imprimis studiosissimum. Sed quod quantum reginam meam diligeres, quantum item rebus ejus pro virili parte tua consultum esse cuperes, cujus etiam incunabula saepe te fuisse veneratum ajebas, nullam curam, nullam industriam, nullum denique studium atque diligentiam satis tibi futuram ad declarandum arbitrarere, ita ut quibusdam apud vos summo loco et summa dignitate viris assusurraverim, paucos in Polonia, pauciores, ne dicam paucissimos esse in Hungaria, qui Isabellam nostram, rara virtute ac bonitate principem vehementius amarent, ejusque commodis operam suam praesentiorem, si illa uti vellet, constantius pollicerentur Joanne Tarlone.

Quae quum illius majestati eo studio atque illa dicendi ratione prolixius recenserem, qua in summorum hominum et in praecipuorum amicorum rebus uti soleam: quamquam illi omnia fuere jucunda atque pergrata, quum tamen tam intente atque peramanter in porrigendis hisdem mandatis, peculiaris cujusdam animi tui erga se praeclarum indicem visa est perspexisse, multo etiam gratiora jucundioraque exstitere, atque abs te eo animo hujusmodi officia complexa est, ut apud se in pretiosissimarum rerum memoria reposuerit, et agit tibi ingentes gratias, nec certe mihi crede, alias, quam si dudum de illa in maximis rebus ejus, tuis maximis cum periculis atque impendio, quemadmodum ex ejus litteris brevi es cogniturus, optime meruisses.

Idem transegi cum Urbano Bathiano quod petieras. Conciliavi et constitui inter vos amicitiam, quam, ubi vel unis litteris mutuo colloquuti fueritis, jam secundis vosmetipsi veterrima fuisse credetis, priorque ipse urbanas litteras ad te dabit, ne nomini moribus non respondeat, quove declarare possit, quanti facturus est amicitiam et voluntatem tuam erga se, cujus et nomen diu jam audivit, et nobilitatem in Polonia, locumque apud regem cognovit. Summa etiam cum laude honoris et famae tuae meminit, quanta virtute et dexteritate, olim in conventu Posoniensi, imperatore Romanorum Maximiliano, et regibus Hungariae Vladislavo, Poloniae Sigismundo spectatoribus cum ejus consanguineo Francisco Bathiano hastarum concursu dimicaris, et quantum tu illius fortitudini opinionis concesseris, tantum ab eo tuae detrahi minime passus es; adeo tunc Mars in utroque vestrum multus esse voluerit.

Dilige itaque jam Urbanum, mi Tarlone, a quo sic jam, ut optasti, diligeris. Reginam autem, quam habes faventissimam, quonam pacto, quibusve rationibus observari, immo etiam in hoc erga te animo conservare possis, non eges, ut existimo, meo consilio. Qui enim utrumque parentem ac fratrem ejus amplissimos principes felicissime demereri non ignoraris, filiam quoque, praesertim tam lenem, tam piam, et quae sola virtute homines metitur, dubium non est, quin et tu facillime poteris demereri. Est enim proclivi admodum animo ad commoda et honores bonorum, quod quum volueris, experieris, ut voles.

Ego vero si pro voluntate tua functus sum mandatis ejusmodi, ex his litteris, fac sciam, velim. Quic-

quid autem in posterum ubivis locorum potero afferre rebus tuis, scito, me semper fore paratissimum votis tuis, jussaque tua sic exspectaturum, ut nihil quidem cupidius. Aliud abs te nihil postulans, quam ut apud tuos principes commendes me quam creberrime. Vale. VII. Martii 1547. Albae Giulae.

CIX.

Névtelennek Verancsics Antal.

1547. mart. 22. *) ..... tapham ipsum aegre fuga liberavit. Ea clade mirifice pater perturbatus, relicta Adrianopoli, Constantinapolim rediit, suppetias filio missurus. Qua ex re nos non dubia conjectura existimamus fore perfacile, ut Carolo datis et fratri ejus induciis, quas petunt, Hungariam hoc anno non lacessat. Verum ob id res nostrae nihilo revalescunt. Praesidia, quibus vicinia nostra obtinetur, solito more urgent nos, nec cervices sinunt attollere, et quotidie conantur nobis aliquid detrahere, infirmare omnia. Arcem siquidem Beczie, unicum scilicet vadum, quod relinquebatur in Tibisco flumine afflictissimis rebus regni hujus, quamquam paucis diebus ante non nihil intermiserant, vel omnino potius destiterant petere, uti per Aly nuncium erat intimatum, jubebamurque ea de re esse securi, nunc tamen, nescimus qua furia permoti, denuo importunissime non petunt modo, sed etiam flagitant atque exigunt, vimque allaturos edicunt, nisi ultro et sine mora dediderimus. Nec est facilis, mihi

*) Kezdete kiszaggatva.

crede, deliberatio, quum et dedere et negare juxta sit periculosum. Tu vicissim, quid agitur cum Germanis, quo modo caesari et Gallo de societate convenit, quid demum caeteri principes christiani moliantur, quos illorum furiae atque ambitio secum circum agitant, rogo, cures, ut sciam ex tuis litteris, quibus certe in hoc regno multos, velut in antro quodam altissimo ab omni hominum politiorum consuetudine reclusos, et non aliter, quam ad reliqui totius orbis terrarum res universas tum coecos, tum surdos, mirifice reficies et recreabis, mihi vero tui amicissimo summam afferes jucunditatem. Vale. 22. Martii 1547. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CX.

Ephorinusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Ephorino suo S.

1547. apr. 2.

Quod ago apud te hac epistola, id equidem proxima agere statueram. Sed interventu cujusdam e re natae molestiae, eaeque sane non mediocris, uti sunt hominum res, totum me repellendae ejus cura atque sollicitudo in se rapuerat, idque ipsum quod ad te mirifice cupiebam, ita mihi excussit, ut in oblivionem adduxerit, properante penes hoc, atque urgente litteras sibi dari, etiam tabellario. Oblata tum praeter omnem spem occasione hujus alterius tabellarii, istuc proficiscentis, nolui praetermittere susceptum officium. Quare hic inter multos amicos mihi est unus quidem amicissimus, Michael Cziacchius, professione

atque ordine sacerdos, dignitate canonicus et archidiaconus, vir plane multarum virtutum ornamentis commendabilis, et spiritu christiano ad imitandum usque imbutus. Cui quum ego te omnibus conditionibus, quibus homines alii aliis praestant, hosque tales nos quoque potissimum nobis tum amandos, tum colendos proponimus, non imparem esse cognovissem, sive doctrina sana et aliarum litterarum eruditio, sive integritas vitae et morum candor exigatur, te quoque non immerito in eundem amoris gradum mihi cooptavi. Hoc autem eo ad te scribo, Ephorine, ut, postquam tot peragratis regnis atque urbibus, vos dumtaxat duos inveni, alterum in Polonia, alterum in Hungaria, qui soli, in tanta fortunae meae varietate, exstitistis, in quibus veram amicitiam videre et experiri mihi contigit, te, inquam, Ephorine, cum Cziacchio in mutuam notitiam atque amicitiam adducerem et hac triumvirali amicitia nostra rari sane et prope modum novi exempli constituta, probitatem quoque utriusque vestrum commendarem ad posteros. Nec aliud restat, quam ut meum Cziacchium de facie cognoscas. Sed quoniam per disjunctionem vestram nequit hoc facile fieri, ipse jam operam dedi, ut et ille te ex verbis meis cognosceret, et eum tu ex litteris. Jamque par est, ut, quanti facias talis amici accessionem, mihi significes. Ego autem pro eo spondeo, quod ipse quoque omnibus officiis ac verae amicitiae studiis humanissime tibi semper respondebit, quippe qui plurimum delectatur sinceris ingeniis, evangelii vero studiosis etiam capi facile patitur. Vale. 2. Aprilis 1547. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CXI.

Salvius Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Salvio S.

Rediit a te familiaris meus Lucas, et quidem va- 1547. apr. 4. cuus, qui quaecunque retulit nomine tuo, plane intellexi, et credidi, nimisque equidem credidi, quod ea etiam fide dimiseram, ut mutui afferret nihil. Noveram enim aliis quoque experimentis, quam liberalis esse soleas etiam in his, in quibus vel profusissimus esse deberes. Qua in re si forte tibi haec mea petitio quampiam attulerit molestiam, oro, ignoscas, et fortunae meae compatere, fiduciam vero, quam in te jam habebam veterem, excuses. Nam nisi nunc summa pecuniarum inopia laborarem, ad summum amicum summa spe non accurrissem, neque amicitiam nostram in tantum discrimin attulissem, si scivissem meis te necessitatibus facto non responsurum, quum plus voluptatis ex opinione ejus quotidie percipere potuissem, quam hac una probatione subsidii perceperim. Hincque illud vetus nunc demum verum esse cognovi : Amicitias experiri pecunia. Sed si in te deceptus sum, Thoma Salvi, quem maximum meum amicorum, mihi esse persuadebam, quid, quaeso, a vulgarium turba exspectandum est, qui nisi salutent semper comiter, et ubique arrideant aulice, tantum abest, ut vel amicorum prae se ferant speciem, ut etiam sine syle-

nis meros nebulones et veros hostes judices atque credas? Vale. 4. Aprilis 1547. Ex Transsylvania. Albae.

CXII.

Pécsi Gáspárnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Gaspari Peccio S.

1547. maj. 28 Georgius Blandratta medicus confecit negotium tuum apud Reginam ex animi tui sententia. Vir enim est summa humanitate, et amicis natus. Quare nulli hac in re homini debere memineris, praeterquam illi soli. Amat namque te amore non vulgari, quod non tantum ex hoc, sed ex aliis quoque argumentis, per occasionem facile cognosces, modo eo loci assiduus esse possis, ubi aut quam propinquissimus ei sis, aut saltem ab eo longe non absis; quamquam ne absenti quidem unquam deerit, quippe qui non casu, sed ratione et sumit et servat amicitias, hincque quod te amat, non mireris, sed gratificari cures. Nec plura opus est. Ad tres equos dabitur tibi stipendium. Et licet ego de quinque voluntatem tuam innueram, eaque haud segniter suscepta et tractata sit, laboratumque ab utroque nostrum summo conatu pro eo numero: tamen quum hoc tempus principi incommodissimum est, eaque cogitur, etiam in privatis rebus nonnihil astringi propter causas, quas te ignorare non puto, plures impetrare non potuimus. Hanc itaque conditionem feras aequo animo qualis qualis est, et gratiam ejus majestatis pluris ducas, quam si te,

non dicam, quinque, sed quinquaginta praefecisset exili isto tuo principio; et te omnia summa judicato consequutum, si ejus voluntati obtemperabis. Paulo vero post ubi sedulitas ac virtus tua perspecta fuerit, dubium tibi non sit, quin ad altiora perveheris. Nunc tantum cura, ut equis, armis, caeteroque apparatu militari, tam pro tuo, quam pro principis decore sis quam instructissimus, in aulamque mature venias. Me autem interim diligas, medicum vero nostrum, immo jam et fautorem omnium, non diligas modo, sed etiam colas. Bene meretur enim de omnibus non invitus. Vale. 28. Maji 1547. Ex Transsylvania. Albae Gyulae.

CXIII.

Lazsotta Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Lazsottae S.

1547. jun. 1.

Si is Martinus Conratus gentilis tuus, et regis tui ad nos nuncius, vir humanus, et tibi vetere, mihi nova familiaritate conjunctus, non meas ad te in reditu suo litteras attulisset, neque ego hac sane nimis peropportuna occasione renovandam amicitiam nostram officio tam facili curavissem, laesisse me proculdubio animum tuum existimassem. Quare etsi in hoc afflicto et prope jam dejecto regni statu non sumus ea fortasse facultate, ut amicis nostris afferre quippiam possemus, ego tamen nolui praetermittere, quin saltem voluntatem meam, eamque propensam

erga te declararem, tibique omnia de me confirmare conarer, ad quae nuper in Galliis obtuleram, quando et notitiam inter nos et amicitiam conciliavimus. Cui testimonio meo si tu quoque tuo respondere volueris, pensando litteras, me quidem tibi in majorem modum devinces, fructuque ejusmodi consuetudinis nostrae testabere, te non trivialiter suscepisse amicitiam meam, comprobabisque eam tibi esse non ingratam. Vicissim vero quantum et ipse pari fiducia audebo de te mihi polliceri, cujus virtutem atque ingenium ad res principum gerendas comparatum vel ea gallica legationis gravissima provincia facile perspexi, teque et complecti, et magnifacere coepi, hanc epistolam testem facio. Ames itaque me, mi Lazsotta, ut amari jam existimo, et utaris opera ac rebus meis. Nam ego quod edico, nunquam parcam tuis, quum eas usus postulabit, ut amici rebus. Clarissimo principi regi tuo, si in tantae majestatis auribus parvitati nostrae locus esse possit, et occasio non defuerit, velim me commendes et demisse exhibeas. Gnoincio et Fricassio amicis meis dic salutem, et offer studia. Vale. Prima Junii 1547. Albae.

CXIV.

Capelli Ferencznek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Capello Patricio Veneto S.

1517. jun. 15

De obitu patris tui Caroli viri praeclari atque optimi nuncio, quem ex tuis litteris intellexi, non aliter — mihi crede — affectus sum, quam quivis vestrum, qui ex eo procreati estis. Nec id quidem sine justa ratione. Amavit enim me et complexus est semper, non ut quempiam familiarem et amicum hominem, sed ut propinquum suum, aut unicum fratrem. Quare si sic accidisset, ut vobis gravissimo et funestissimo isto casu vestro adesse potuissem, junxissem sane lacrimis vestris fletus meos, nec luctus vestri tempus non atratus exegissem, ut, cum quibus complures saepenumero dies summa festivitate ac laetitia habuerim, iis in moerore constitutis, meum tum moerorem, tum dolorem non denegassem. Verum quamquam acerbissimus dolor est, qui ex amissione parentis nascatur, isque parens, qui et suis insigni pietate praefuit, et reipublicae suae, in qua natus erat, per omnem vitam praestantissimae virtutis operibus ac magnitudine laborum profuit, diutius etiam deplorari ac desiderari filiis debet : tamen amici nos ut fungamur officio verae amicitiae, nosque etiam homines esse meminerimus, non indigne faciemus, si, postquam aliquamdiu una cum amicis fleverimus, et naturae, qua docemur, quam sit dura rerum charis-

simarum privatio, partes suas dederimus, eosdem, inquam, quorum peculiare vulnus est, curabimus ad consolationem revocandos, atque eis demonstrata humanitatis nostrae conditionae, communes omnium mortalium decedendi leges aequiore animo suadebimus esse tolerandas. Quapropter quum non ignoro, te ab ipsa usque adolescentia sub disciplina doctissimi patris fuisse, et moderationis et prudentiae et fortitudinis semper studiosum, expendas tecum, velim, ac tute judices, quamdiu his affectibus viro sit indulgendum, qui et haberi vult, quem profitetur, et judicio sapientis, non vulgi susperstitione ducatur. Neque ullo modo committas, ut ipso temporis decursu dolorem deponas. Hoc enim et odia hominum maxima sine conciliatore saepe vidimus delevisse, et aegritudines ademisse sine omni usu medicinarum. Unde inniti tempori, opperiri casus, et a fortuna pendere, quae ut interdum stultis etiam apprime suffragentur atque inserviant, ita et sordidos et indignos efferre consueverunt, ignavorum hominum esse prodiderunt sapientes. At tu, qui admodum sane juvenis, et quidem eo ipso tempore, quo virilem togam sumpseras, et praeturas inire inceperas, non obscuram sane de se senatui tuo, vel me inter caeteros non omnium minimo teste, qui tum legatione in vestra civitate fungebar, spem excitasti, indignum et te et ipso patre tuo faceres, si laudem hanc non virtuti ac rationi dares, neque eum deflere desineres, quem eadem lege, qua praemisisti, non multo post, tametsi post annum LXX., sequeris, quum omnia tum orta, tum oritura occidant, et aucta senescant. Sed ne te, lento gradu avocans a moerore, diutius in moerore detineam, dum serius ad medullam consolationis accedo, quaeso te.

mi Capelle, proponas tibi ob oculos prestantissimi patris tui virtutes, quibus ille in ista vestra republica, quamdiu vixit, semper cum summa gloria floruit. Mores enim habuit jucundos, graves et magna dignitate conspicuos. Ille et vir et orator bonus, ille acutus philosophus, ille sublimis ac verax theologus, et ne enarrem singula, in omnibus ille VII. liberalibus artibus fuit sane consummatissimus. Trium vero linguarum eruditionem ita erat consequutas, ut hebraice, graece ac latine et scriberet, et loqueretur, idque adeo facile et expedite, ut cum iis natus esse videretur. Ingenio autem atque animi praestantia, qua pollebat in gerendis rebus, plurimae legationes et novorum insignium ac titulorum equestris dignitatis, quae jam familiae tuae potest esse haereditaria, testantur accessiones. Quanta ad haec vixerit aequitate, quanta ubique gesserit se se moderatione atque integritate, provinciae quibus prefuit, palam et cum laude loquuntur. Nec postremo fidem atque consilium ejus urbani magistratus et defensiones clientum non extollunt, quum et senatorius ordo — ut mihi nunciatur — eum tanquam Valerium quendam Publicolam suum communi totius civitatis lamentatione desideravit. Multa hic alia ornamenta, variaeque dotes nobilissimi parentis tui recenseri possent, quibus ille et majores suos aequavit, et vobis junioribus suis praebuit lumen, quo eorum claritudinem non imitari solum, sed etiam assequi atque augere possitis, nisi a ratione epistolae in orationem rerum gravitate delabi pertimescerem. Concludam itaque paucis. Anno enim superiore, quo praetor eras Muriani, quum essem ego apud te, et egregie ac magna cum voluptate frueremur una genio. ubi mihi — quae tua erat humanitas,

atque gratia — nihil tecum ac cum tuis non licebat, tuque in summis solatiis et animi remissione summa sedulitate, quieti atque concordiae civitatis ejus reparande et constituendae intentissima cura atque studio satageres, plane perspexi, quanti erat parens tuus apud Venetos Patricios, cujus respectu, omnes te his in rebus occupatum, non aliter excipiebant, audiebant, absolvebant, quam si unicuique aut filius esses, aut jam maxima in patriam beneficia contulisses, et de singulis praeclarissime meruisses. Laus itaque haec magna, Capelle, profecto est, et majorem in modum celebris. Sed major ex ea vobis petenda est consolatio. Si enim et charissimo et optimo parente privatus es, ut es etiam praestanti, scito fuisse mortalem. Ea tamen tibi, caeterisque posteris suis de se reliquit monimenta, quae quum sint immortalia et gloria digna sempiterna, eorum memoria, abstersis tandem lacrimis, laetus cum tuis fratribus perfruare, simulque, ut jam vos quoque patres esse possitis, navate operam et contendatis, ut vestrum virtutibus meritisque in rempublicam aequiparetis, ac in posterum curetis, ut prudenter leges humanitatis perferatis. De naufragio autem fratrum, et bonis ac supellectile tota in reditu ex Cypro, mari atque igni amissis, itidem equidem atque vos permoleste tuli, execratusque sum casum, et fortunam mirifice admiratus, cui non satis fuit patrem vobis eripuisse, nisi et pyratas in vos immittendo, aquis bona vestra hauriret partim, partim igni absumeret, ut in vestrum detrimentum ad perniciem, quam latrones vobis intenderant, duo quoque dissidentissima elementa concordarent. Accidit hoc juxta tritum infelicium proverbium : Nullum malum solum. Et illud, quod est majus, at-

que gravius, societate, velut tyrannus quidam satellitibus stipatur. Sed gaudendum esse, et hoc aliud fortunae telum levius tibi puto existimandum, postquam ex eodem naufragio, quod cum bonis fratres quoque duos deprehenderat, ambo ipsi fratres evaserint. Vita enim superstite non deerunt opes, haeque quamquam saepius possessorem mutent, vivos tamen sequuntur, nec his homines a morte redimuntur, sed amissae vivis frequenter reparari solent. Quare operam date diligenter, ut patris mores ac vitam aemulantes, valetudini primum, deinde reipublicae vestrae studeatis. Quae duo si pro viribus vestris praestiteritis, aderit certe et sanis ad acquirendum facilitas, et patriae decori, commodoque servientibus digna beneficiorum honorumque non deerit compensatio. Petro, Paulo, Laurentio fratribus tuis meo nomine dic salutem; Paulo et Laurentio etiam gratuleris, quod redierint incolumes. Vale. 15. Junii 1547. Ex Transsylvania. Albae Giulae.

CXV.

Capelli Ferencznek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Francisco Capello patricio Veneto S.

1517. jun. 19. Triduo post a te, quam superiores litteras dederam tabellario, aliae tuae fuere mihi redditae, quibus unum e fratribus tuis missurus videbare in Hungariam, hortabereque, ut ei de aliquo sacerdotio, si fieri posset, curarem providendum. Nec alia repeto, quae de patrimonii vestri qualitate et damni magnitudine nuper mari accepti perscripseras. Quae quidem, nisi me amares singulariter, ad me nunquam detulisses, neque tam aperte atque libere de domesticis rebus tuis communicasses. Quamobrem ego quoque sic de his rescribam, ut amorem meum erga te decebit, et honori commodoque tuo videro fore congruentius. Fratrem ergo tuum, hominem liberum et in patria felicissima natum, servituti huic nostrae animus est addicere? ac in hoc oppressum regnum, jamque pene damnatum jugo turcico, amandare ex urbe jucundissima, opulentissima, pacificaque non verearis? Equidem nescio, serio ne, an joco id ad me scribas. Scitus enim es ac perurbanus, et, dum lubet, scommatibus uteris non inepte. Hincque fortasse me, qui his periculis et hac insuavitate vitae carere poteram, irrides, quod eam adhuc non desero, seu potius, postquam ad terrorem alterius caesaris, arma

jam nobis alterius immineant, in patriam ad piscandum circum amoenissima Dalmatiae littora, et illos scopulos, vel ad Veneta tempe, ut in portum ex tempestate ad quiescendum et fruendum voluptatibus, redire adhortaris. Equidem si sic est, non improbo jocos tuos, habeoque amori tuo gratias, quem ex hoc ipso tam inclinato in rem meam studio video esse vehementissimum. Verumtamen, quoniam prudentes, exploraturi hominum ingenia, conatus, constantiam, amicorum animos, fidem, voluntates, plerumque obliquis quibusdam ejusmodi rationibus uti solent, — vera enim mentis consilia velantes his perinde atque personis veros vultus, aut blandiuntur praeter modum, aut irasci fingunt, aut jocantur salibus, aut difficultates suas proferunt, aut demum simile quid alienum a re agunt, ut eos ipsos, in quos commenta injiciunt, sua ipsorum simplicitas detegat atque denudet, — id te mecum agere, etsi persuadere mihi minime queo, vereor tamen plurimum, quum ea mihi in mentem veniunt, de quibus aliquando Muriani non multum dissimili colore a te propositis, plenis buccis ridebamus. Ne tamen pro officio non respondeam, tibi jam in hoc a me promisso, scito hic omnia, etiam illorum, qui paulo ante felicissimi putati sunt, in ruinam pendere, et eos omnes ambigua sede contendere metu Turcarum, quorum sane vis jam ad viscera usque regni hujus penetrávit, et in omnes ordines hominum nationis ejus vestigium sibi fecit. Ac si forte, quod fieri existimo, felicius quid ex mea perseverantia judicas de hoc regno, non parum quidem falleris. Etenim mea ratio alia est, quippe quod debeo regno Hungariae quicquid et sum et habeo. Puerum enim excepit admodum, suscepique ex ea non solum commoda

multa, sed et honores multos, et conditionem, quam mihi patria dare non potuisset. Ideo decet me in Hungaria penes quum ejus conservationem, tum propter honorem meum et perseverare et periclitari. Tibi vero, Capelle, mi amantissime, paucis ita affirmo, de Hungaricis sacerdotiis nihil jam quicquam firmi esse cogitandum. Intercidit eorum tum pretium tum dignitas, ratioque omnis ac decor perturbatus, inter profanos atque ethnicos vagatur, quandoquidem et Turcae jam decimas colligunt. Fratres itaque tuos si vel tenuiter amas, deducas ab hac voluntate, et a consilio dehorteris omnino. Forsan paulo post, si fortuna Caroli caesaris prosperabit, convalescet etiam nostra, et tunc amicis nostris poterimus hinc polliceri firmiora. Sed et hoc statu, quo sumus, ea de me tibi offero, quae ab homine amicissimo sperari debent. Quod de Armeniae scortilli mei *) non praetermiseris, gravidaeque subveneris pecunia, edepol, ago tibi ingentes gratias, et quicquid in eam mea gratia liberaliter contulisti, id me tibi humanissime repensurum promitto. Tantum cures, mi Capelle, ne me aliquis nequam suae prolis faciat patrem, alioqui si meam esse constabit, quaeso te, ne desis, donec a me tam de matre, quam de filio, aut quicquid erit, provideatur. Non soleo meis dormire. Caeterum Armeniae alo non exiguam cogitationem, brevique est cognitura, non inutilem ei fuisse meam amicitiam, dummodo ferat aequo animo, quicquid hoc est, quod differtur. Id enim cogimur, non sponte facimus. Complura erant mihi in hanc sententiam huic epistolae ascribenda, postquam in scortilli hujus incidimus mentionem, ut

---

*) Kimaradt: ‚statu scribere', vagy hasonló valami.

ridere posses, sed adhuc non sum ausus propter recentem memoriam paterni funeris. Differam igitur ea, nec interim attingam, donec te luctum deposuisse cognovero. Nova vero abhinc non est cur petas. Nos domesticis malis adhuc egregie colluctamur, hisque tantum sollicite intenti sumus, quae nobis a Turca diu jam minitantur. De victoria Caroli in Germania scire te non ambigo. Maxima quidem est eaque certissima, et multis apud nos grata, quod jam de restitutione quoque nostra non dubitamus omnia sperare maxima. Utinam illi fortuna non deficiat, et ubique comitetur ejus animum, uti coepit. Petro, Paulo atque Laurentio fratribus tuis plurimum me commendes velim, tuque sic habeto, ut eum, a quo amaris singulariter, nec desideraris minus, quam unicus matri filius. Vale. 29. Junii 1547. Ex Transsylvania. Albae Juliae.

CXVI.

Kindler Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Kyndlerio suo.

1517. jul. 10. Gaudeo te incolumem ex tam longinqua peregrinatione in patriam rediisse; et quod naufragium maris, pyratas, ignemque ab iis, navi subditum, simul cum filiis domini tui Caroli Capelli evaseris, equidem tibi mirifice etiam gratulor; quod vero statim in tuo reditu, quasi nihil antiquius, neque gratius haberes mea consuetudine, curaris me tam studiose de his facere certiorem, gratias ago et eas quidem non nudas, sed cum his veteris quoque benevolentiae meae erga te facio fiduciam, quam tibi ea cura atque diligentia conservavi, qua ne unico fratri majori potuissem. Quicquid igitur te amor tuus, fortasse nimius, cogit sperare ab amicitia mea, confides et sis constanti animo. Id totum tibi apud me integrum est, et jam hoc tempore cumulatius auctum, postquam veterem affectum erga me tuum tam longa atque remota peregrinatione in te non solum non diminutum esse, sed etiam in uberiorem et novam quandam fertilitatem refloruisse video, ubi tantopere amari a me desideras, et ostendis te caput fortunae tuae in mea collocasse. Magnum quidem fidei ac dilectionis tuae argumentum. Sed vereor, ne ad exiguum fontem accurreris, doleoque etiam ex parte, ita sim felix, te tan-

tum amori tuo indulgere, tantum spei credere. Nos enim, ne fallaris, ea, qua fortuna eramus, jam triennio caremus, et privato statu sumus. Quamquam animus quidem ille ipse superest in amicos, qui fuit semper. In quo quicquid est, quo possumus benemereri de aliis, excusata reliqua facultate, in qua et ostentationis et impudentiae multum interdum esse soleat, totum hoc tuae facio potestatis; tibique persuadeas, hunc ipsum animum meum, quantuluscunque est, et quocunque intenderit, etiam facultatulas has secum tracturum. Nihil itaque restat apud me, quod tuum non est, et cognosce vel ex hoc, mihi quum es et tuo et virtutis tuae nomine charissimus, nunquam tibi nec favorem, nec beneficium meum defuturum. De morte vero praestantissimi viri Caroli Capelli, omnium bonorum, summorum et litteratorum hominum publico atque privato luctu prosequendi, meritissimique plus quam dici possit, qui a me quoque aeque cum suis omnibus deploratur : non aliter, mihi crede, perculsus sum funestissimo nuncio, quam si proprio parente, et iis omnibus, quos in vita habeo charissimos, fuissem orbatus, nique, mi Kindleri, ad rationem humanae conditionis esset accurrendum, equidem diutissime lugerem incomparabilem amicum, qui me quanto amore semper est prosequutus, tute scis optime. Verum quum illi fuit fatis obsequendum, quemadmodum et nobis erit, quum omnes serius ocius ad unam metam properamus, non aegre cessandum est a lacrimis, ubi et naturae et pietati lege humana nonnihil indulserimus. Illud tamen me gravissime habuit, et — ni fallor — filios ejus quoque, quod cum morte fortuna etiam in illorum ruinam conjurarat, ut eos altera privaret optimo patre, altera prope omni-

bus facultatibus. O, casum diu non visum similem, et quidem magis etiam admiror, quod in aqua ignis saevierit, et duo tam contraria inter se elementa in tam praeclarae familiae damnum concordarint. Sed Deo, qui a nobis aeque in adversis atque in prosperis requirit gratias, eas inquam gratias non habeamus modo, sed etiam referre adnitamur. Cujus providentia factum est, ut rebus ademptis, vestrum nemo desideraretur. Scripsi ad Franciscum litteras, et conatus sum eum cum caeteris fratribus consolari. Quamquam — ut tecum jocer — quis, quaeso, Venetiis unquam tristari potest, in quibus universae voluptates atque deliciae sine reprehensore vagantur, et libertati peculiare domicilium est, quaeque demum tantam omnium rerum copiam in se habent, ut eas non injuria, totius mundi imaginem et omnium gentium emporium quoddam appellare quidam non dubitarunt. Quas facultates atque commoda quicunque bene animadverterint, Kyndleri, praesertim filii locupletum, tantum abest — meo judicio, — ut parentum, seu majorum suorum, quorum adhuc regimine cohercentur, funeribus afficiantur, ut etiam maxime ea desiderent, quo sine freno atque censore in pulcherrima et liberrima urbe his ipsis commodis magnifice perfruantur. Quod tamen non existimo in Capellios meos cadere posse, quos optimus pater optime et honestissime educavit, imbueritque ea disciplina, hisque moribus, ut etiam si vellet quispiam eorum malus genius, degenerare tamen ab instituto et vita parentis minime poterunt, quum haec in eis omnia jam cum aetate ad perfectionem ematuruerunt. Attigi tamen haec, quia Francisci ingenium ultra quod et festivum est et jucundum et exspectationis

non parvae, luxuriat nihilominus libenter, nec moerori apud se, quantumvis proprio locum facit. Tu eorum amicitiam curabis conservandam, quippe qui de probitate tua bis jam litteris suis apud me testari non neglexerunt. Amant enim te, et quilibet eorum sese offert tibi in parentem futurum, parentis sui loco. Vale. 10. Julii 1547. Ex Transsylvania. Albae Giulae.

CXVII.

Vapovius Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Vapovio suo S.

Ego vero ad te dudum litteras dare debueram, [1547. jul. 12] teque de omni statu meo ac valetudine facere certiorem. Exigebat enim hoc amicitia nostra; ipsis etiam promissis meis, quae de scribendarum litterarum sedulitate magnifice tibi feceram, assidue perurgebar. Verum quum ab adventu meo in Transsylvaniam satis adhuc juris mei non fuerim, laborarimque quasi concursu negotiorum in hac fortunae meae varietate, officium ejusmodi mihi quidem non sine magno meo dolore praetermissum est. Quum alioqui non horas, non momenta solum, sed ipsos etiam saepenumero totos dies de te tuaque nobilissima et suavissima consuetudine cogitando soleam exigere, tuique hac tam jugi tamque amabili recordatione, et si omnino pro officio, in quo tibi sine gravi culpa deesse nun-

quam possum, satis amicitiae non facio, utique tamen inest etiam in recordatione charissimarum rerum aliqua officii pensatio, eaque, mea quidem sententia, non exigua, quum vel illud vetus et commune omni genti evitatur : Procul ab oculis, procul a corde. Quicquid igitur per me hactenus cessatum est ab officio, si huic rationi locum dabis, non tam reprehendi, quam excusari apud te debebo. De amoris periculo non laboro, quia si mihi non esses amantissimus, meumque cor non magis te, quam me haberet, ne has quidem ad te tam accurate maturassem. Reprehensionem vero tantum abest, ut timendam mihi esse existimem, ut etiam, si me eminentissimum ingenium tuum, si mores in maturitate jam et virtute constituti, si ipsa denique facies tua, vera imagine lenitatis et modestia composita non fallit, audeam arbitrari, te ne in gravissimos quoque hostes tuos saevire posse. Hoc initium erat epistolae, mi Vaponi, quam proxime ad te daturus eram Hieronymo, quum jam diuturnioris silentii culpam vel eotum in me, suggerente conscientia, agnoscebam, eamque deprecatam esse volueram. Sed injecto mihi non exspectato id temporis publico negotio, quod me quatriduum prope habuerat, omne illud otium, quod occurrerat perexiguum, ereptum est, et Hieronymo meis de rebus properanter abeunte, tua quoque epistola eo loci intermissa est, et officii mei impedita satisfactio. Quare scribendi me officio, vides, non defuisse, et causam, cur Hieronymus litteras meas non attulerat, habes. Nec jam dubito, quin hoc meum silentium tum aequo, tum miti animo sis laturus. Tametsi non omnino fui sine sollicitudine, eo ne gravius offendereris, sed interim allatis a te litteris, omni sane non sollicitudine modo,

sed etiam suspicione animum liberavi, qua eram, ne a me amorem tuum alienassem; in his enim quantam prudentiam et dexteritatem tuam in commonendo amico ad officii recordationem cognovi, et in eodem defendendo quam praeclarum ingenium, ac in retinendo fidem atque studium perspexi, equidem mirari satis non possum. Ubi enim meam cessationem non immerito accusare debueras, humanissime tuam excusabas et transferebas quasi in te ipsum, quicquid in me jure reprehendi poterat. Magni sunt amoris haec, et humanitatis tuae erga me argumenta, facisque, ut, si unquam fuerim, Vapovi, consuetudinis tuae cupidus, nunc sum certe cupidissimus, hisque ipsis litteris tuis ita sum inflammatus ad quaerenda omnia incrementa amicitiae tuae, qua mihi nihil sane dulcius neque amabilius esse potest, ut nunc prorsus te, ac revera et amem et diligam, quum hactenus visus sum voluisse tantum; quamquam antea quoque, quid amori meo addi potuerit, ne ipse quidem facile dixerim, nisi quod circa principia sit hucusque versatus. Quemadmodum itaque nihil ego de benevolentia tua erga me imminutum esse video, ita te de mea dubitare nihil volo, et ea cuncta de me tibi et pollicеare et persuadeas, licet, quaecunque ab optimo et constantissimo in amicitia viro, omni sedulitate excolenda polliceri debeant. Scito insuper, peculiari me diligentia atque conatu daturum operam, ut nunquam voluntatis meae erga te propensissimae jacturam facias. Etenim tuebor eam tibi hisdem artibus, hisdem armis, nempe officiis et honestate studiorum, quibus tuam mihi vendicavi. Ac rei quidem hujus, quas optasti, en habes litteras testes. Nec jam tantopere, in posterum, velim, vereare, quo minus et desiderare

et petere et etiam efflagitare audeas meum in scribendo officium, quum voles, aut quoties id ipsum in desidiam incubuerit, seu longius dilatum non tuleris. Et si fortasse lenius mecum ea in re ac remissius agere volueris, ingenuè tibi denuncio, quod neque excusationes tuas, quantumvis ingeniosas accipiam, quibus et pertinaciam tuam et desidiam meam pro tua modestia curabis defendendam. Quamquam alioqui non dubitabo te hoc ex amoris magnitudine facturum, si tamen etiam frequentius atque commotius urseris, ardentius me amari abs te existimabo. De valetudine mea quod petis, adversi nihil est. Etenim optima fruor, nisi quid instans attulit Procion. Status est is: Omnia mihi apud humanissimam principem belle succedunt. Ea in dies ad honorem et dignitatem meam, gratiam suam conferre non gravatur. Favent et optimates non simulanter, nec veteres desunt animi amicorum. Invidia tamen non caremus, sed ea, quoniam est in perditis et notae impuritatis hominibus, impotentius ferit; vimque minorem habent ad nocendum virtuti, quorum non ignoratur improbitas. Ideo sicut rem nostram non evertunt, ita et tela eorum contemnimus. Nova a vobis nos quoque accipimus, tantum hoc de Turca, nescio quid, sed obticuit, postquam tributum recepit. Hungari ad spes ingentes restitutionis suae victoria Caroli erecti sunt, et jam inde — si recte conjicio — plurimum pendent. Nostra factio diligenter curabit, ut regulus noster ac mater ejus in statu hoc conservetur, si melioris copia defuerit. Pestem grassari apud vos, aegre audio, gaudeo tamen principes secessisse, quos tu si es sequutus, probo consilium, et minus afficior salutis tuae cogitatione. Valebis enim, quum ab ea longe aberis.

Apud vos vicissim si quid occurrerit scitu dignum, praesertim de armis et conatibus Caroli, sub cujus jam signa magnam orbis partem abire nunciatur, perscribas ad me velim. In quo facies rem mihi oppido sane gratam et dignam amicitia nostra. Ad quod etsi calcare non egeas — novi enim quantum abes ab inertia — hortor te tamen, ut etiam ex affectu meo requirendi officii tui cognoscas, quantum te ipsum cupiam, si epistolarum tuarum concursum tanti me facturum ostendo; et nimirum illas quoque uberiores tuas jam exspecto mirifice, quarum exspectationem in calce proximarum ascribendo mihi injecisti. Alexandro Miscovio, Remigio Helmio et Jacobo Prilusio opto salutem ac fortunam heroicam, tibi splendorem, gloriam atque eadem, quae iis, cum dignitate omnia. Vale, mi Vapovi, meque, ut facis, ama. 12. Julii 1547. Ex Transsylvania. Albae Giulae.

CXVIII.

Faberinusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Faberino. S.

1547 jul. 29. Perbreves eram ad te daturus litteras, ut officio mei dumtaxat excusandi, et indignationi tui accusandi satisfacerem, demonstarem alioqui meam tibi incolumem manere amicitiam, et mansuram, quoad voluisses, nec aliter amicum te essem habiturus, quam quem amicissimum. Verum quum dedolere non possem, et provectus essem altius indignatione injuriae, quam a te acceperam, equidem in Angeronam — quod dici solet — incidebam, nisi produxissem epistolam. Quare accidit mihi, quod evenire consuevit, qui concretum anguem frigore, sinu confovent, eoque tandem pristino vigori restituto, morsum pro gratiis referunt. Porro quicunque legerunt versus tuos, Faberine, profecto, nam jurare debeo, quia non crederes, nemo est eorum, qui non aliqua, ut sincere dicam, postquam extorques, in his non reprehenderit, atque etiam quamplurima, idque sane non clancularie, neque in angulis, sed in coronis aulicorum, atque adeo, si perpendisti, etiam in oculis tuis. Solus ego vel meae ipsius imbecillitatis conscius, mihique nihil certius de me ipso pollicens, quam quod errare et labi possem, habita singulari ratione amicitiae tuae, texi te atque defendi quam diligentissime potui. Inque eo ipso, in quo fortasse gloriari apud te posse sperabam, quod

ex benevolentia recte me facere arbitrabar, magis quidem certe reprehensus sum ab iis, qui solidam consequuti scientiam, graviore judicio aliena discernunt, et liberius imperfecta confodiunt, quam illi ipsi versus tui, qui omni reprehensione dignissimi censebantur. Cui quidem reprehensioni quamquam facillime consentiam, — etenim erratis amicorum, si sumus candidi, connivere non debemus, — omnino tamen damnari minime possum, quum quae alii veluti cauterio quodam, tanquam putrida, haec exserabant severius, illa carpebant mordentius, tantumque aberat, ut amice existimationi tuae consulere velle viderentur, ut nasum et posticam sannam adhiberent: ego vero ea non dicam verbo, quod memini, sed ne nutu quidem obliquiore unquam perstrinxi, et alioqui nolens amicum, placentem sibi, laedere, saepe sane ingenua quadam, ut sic dicam, calliditate et comitate plusquam fraterna admonui saltem errati, atque hortatus sum, ut ad ipsam artem amussimque poeticam versus tuos dedolares, et pedibus ita firmares legitimis, ut pro regula ingrederentur, meritoque metra dici possent, non inter prosam et poesim tanquam scopae dissolutae sive centones vacillarent. Quod in me quum hactenus nunquam accusasti, quoniam officio et modestia mea vincebare, et alioqui rationi etiam acquiescere cogebaris, quaeso, cur postea vix vel semel audito delatore, crimineque meo neque investigato, neque exacte cognito, tam cito et amicum non ineptum, et omnino hominem non agrestem fastidiveris, ejusque amorem ac beneficium contempseris? immo et in amicitia parum fidelem judicaris, versuque minime liberali inimicitias propemodum mihi denunciaris? Quo versu quid abs te mihi injurius, quid viro probo,

et innocenti potuisset esse difficilius, ne vivam, si quid gravius existimam? Ordiris autem sic: Uteris in me jocis, carmina facis Wranci, serpere tutus humo, visque videri justus. O, musam lepidam, o, vatem admirandum, o, felix saeculum! sed nunc de ratione syllabarum non agatur. Injuriae repetantur. Me simulatoris et dolosi nomine gravissime proscidisti, dum humi dicis serpere, et tamen justum videri velle. Ubi, Faberine, non possum, Hercle, tuam et gravitatem et judicium, et modestiam et gratitudinem non desiderare, atque exclamare fortiter: o, repentinam credulitatem, o, nullo firmatam testimonio sententiam tuam, o, meam infelicem innocentiam, et officia semper fato quodam ingratis obvia! Non librum, non paginam, non versum emisi unquam contra te. In sermonibus autem quam ubique pro dignitate tua omnibus meis sim loquutus, aulam totam, totam urbem et ipsum amicitiae sanctissimum testor numen, quod in omni fortuna constantissima fide semper coluerim et observarim. Plura alia eodem epigrammate effudisti, quibus vicissim multa forent aculeatius respondenda, sed nolo esse praeceps in injurias, ne, quod in te laudari nequit, pari id censura in me quoque vituperetur. Non enim ignoro, quonam pacto et suscipi et retineri debeat amicitia, meminique probe illius documenti: Cito amicum non receperis, neque receptum facile abjeceris. Unde et Zeuxim Heracleotem illum nobilissimum pictorem ajunt serius tabulas suas finire solitum, quod eas aeternitati diceretur pingere. Ita et verae amicitiae paulatim et per experimenta sunt ineundae, neque qualibet causa abjiciendae, ne leves habeamur. Tu me, nullo promisso judicio, celerrime repudiasti atque hoc signo ostendisti, quod

neque cognoveras adhuc, neque complexus eras, et tamen amicum esse te mihi magnifice dictitabas. Quod quo nomine appellari debeat, malo te ex te ipso considerare, quam ex mea epistola intelligere. Puto enim te legisse illud Salomonis de iis, qui cito credunt, quales nam sint. Verum ne videar dirimendae amicitiae nostrae proniore animo suscepisse occasionem, teque potius ad certam simultatem provocare velim, quam a delatorum perniciosa consuetudine removere edocereque, quam viro gravi et in publicis rebus versato turpe sit fidem habere cuilibet spiritui, et moveri omni vento: supprimam nunc, quaecunque incendunt, eaque levi calamo absolvam. Si igitur es ingenuus et civilis homo, curabis diligenter, ne posthac in eundem lapidem impingas, et me jam — ut puto — non denuo initiandum amicum perdas, novos vero serius acquiras. Quod tibi ne contingat, et discas delatorum virus evitare, memineris Theophrasti sententiae, qui magis effreno equo, quam linguae delatoris fidendum esse sentiebat. Utere et Pollucis illius Tyndaridis exemplo, qui fratris delatorem pugno exanimarat. Nec postremo satyri quoque factum parvi ducas ad prudentiae disciplinam, cujusmodi monstra credidit esse antiquitas, qui hominis eodem ore promentis calidum ac frigidum, contubernium simul habere contempsit. Quae cuncta non omnino alieno animo ab amicitia tua ad te exarata si tecum ingenue reputabis, delatores, mihi crede, non auscultabis, in amicos aequior eris, et versus scribes castigatius. Vale. 29. Julii 1547. Ex Transsylvania. Albae Giulae.

CXIX.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri suo. S.

1547. aug. 10. Accepi litteras tuas, quas ad me IX. Calendis Junii dederas Mehcicio, easque prius quam reddidisset, imprudens et summa levitate juvenis quid mecum egerit, nolo te ignorare. Tracalus ille noster, hujus et nomine et genere affinis, cupiens forte fortuna gratificari mihi in adventu meo et officio veteris amicitiae — quum alioqui raro soleat esse liberalis — acceperat equos meos fovendos de suo apud se, quumque hunc ipsum affinem dimissurus esset in patriam, ei unum, coeterorum sane optimum et pulcherrimum, et licet non magnum, validum tamen et generosum, longoque itineri peridoneum dedit, me prorsus inscio, neque certiore facto, nisi triduo post, quam ille abierat, idque jculariter. Qua temeritate et fiducia plane incivili adeo sum offensus, frater, ut ferre magis non potuissem, eaque re per aulam latius evagata, quod indignationem silentio non presseram, male audivit ab omnibus, et publico indiscretionis atque avaritiae convicio aspersus est, quod mea tenuitate liberius abuti voluerit, quam copia sua ausus est. Verum ille simulac rediit, et intellexit ab affine, quam ego tuleram aegre ejusmodi impudentiam: bene habet, inquit, affinis, quod cognorim tempestive, quam parum liceat

nobis in amicitia Wrancii. Turbavit ipse nos, turbemus et nos ipsum. Idque joco ne, an serio fecerint, nequeo recte judicare. Ego tamen, quod tui casu commovebar, nimis equidem serio acceperam. Mox igitur, rediisse se, habere ad me litteras, non tamen laetas, unum e fratribus meis naturae concessisse nunciat nomine praetermisso. Quid quaeris? obstupui, constiti, verbum proloqui non potui, eaque voce non aliter quidem certe turbatus sum, quam qui subita plaga exanimantur. Resumpto paulum post hoc spiritu: num ille Michael esset? quaesivi, subito enim tibi timere coepi, idque non, quod infirmiorem putassem esse caeteris, sed quod plerumque in magnis ejusmodi consternationibus chariores imprimis objiciunt nobis affectus nostri. Quod ignorante nuncio, quia non erat edoctus de nomine, mihi vero crescente desiderio celerrime cognoscendi, quisnam vestrum decessisset. Ex ipso scilicet amore tui ardentissimo, quoque te prae caeteris magis complector, omnis mea cogitatio atque suspicio in te potius, quam in ullum alium declinabat. Nec deerant causae. Mecum enim facile reputabam, quantum vitae tuae, et novellae uxoris assidui congressus detrahere et odium novercae ac duricies patris, quos tibi non ignorabam esse semper infensos, afferre mali potuissent. Unde tota illa nocte ita sum panico quodam terrore exagitatus, ut diem vix attigerim incolumis. Sic me lepidus juvenis non perturbavit modo stultissima sua levitate, sed etiam gravissima medullitus affecit injuria. Deus scelesto maleficiat, nec unquam meliore mente illum imbuat. Hoc aestu exacta nocte, et mature acceptis litteris die insequenti, pro quibus Paulum momento temporis ire jusseram, dici non potest, quanto gaudio

fuerim affectus, quamque mira mutatione mihi sum restitutus, vel ipso primo obtutu, quum manum tuam ex titulo agnovissem, ac deinde lecta incolumitate vestrum omnium, parturientem quoque jamjam uterum uxoris tui cognovissem. Sed de his satis. Bene habet, postquam omnes recte valetis. Ac te plurimum moneo, ut liberis tuis, immo et matri eorum diligentiore cura posthac advigiles, quam primo partu feceras, ne te frustra maritum fuisse conqueraris aliquando. Ego autem ex Dei gratia belle me habeo, et mecum agitur non praeter animi mei sententiam. Jam enim et fortuna mitescit, et in amicis nihil desideratur. Principes quoque et summates omnes ex animo favent. De aliis rebus scripsi ad te antea longiore epistola. Nunc ad ea respondebo, de quibus a me consilium postulasti. Tabernam mercatoriam aperire, eique alienum hominem praeficere, tibi non suadeo, quamquam non ignorem, me idipsum tibi aliquando suavisse, sed sic, si tulisset occasio; eaque nunc si adest, hortor atque etiam urgeo, ut pergas bonis avibus. Vide tamen, cui adjungas simplicitatem tuam, cui ignorationem, qua es ad negotiandum, possis tuto committere. Nisi forte a discessu meo, et Fuccharos in Germania et Strocios in Italia ejusmodi peritia sis assequutus. Quod si te satis rem omnem providisse dicis, nec cujuspiam fallaciis impliceris, assentior. Nec enim decet me, nec possum quempiam nostrorum civium improbare, consulo tamen ut a promis et emacibus caveas, neque cum iis pecuniam tuam communices, qui facile impendunt, sorti vero nihil apponunt, et in civitate cupiunt videri splendidi, in ista inquam nostra civitate, cujus splendor in parsimonia et frugalitate praecipuus censetur. Habes meum consilium.

Caeterum si Indricus offertur negociationis tuae socius, vir est profecto nobilis, integer, probus, dives, et amicitia nobis vetere ac jam probata. Sed tu cives nostros melius noris, quia quotidie experiris, quibuscum in eodem foro assidue versaris, sub hisdem agis legibus, et communi coelo, soloque ac templis uteris. Ego tantum te prudentiae admoneo, ut praesentium hominum mores non ignores, vel potius cognoscendos non negligas, neve vel angelis ipsis, si humana voce loquerentur, facile credas, sine testium et chirographorum cautione vel ipsius parentis nostri exemplo, quem Laurentius ille Copessius foenerator omni judaeo melior, tam egregie, quam nequiter scariotice fuerat osculatus. Argus itaque sis, si eris mercator. Sed jam ad alia. Scribis ad me nimis breves epistolas et jejunas. Equidem vellem ut longiores dares. Scio enim te non totis diebus atque noctibus atteri uxorio latere, et plenae navi libera danda est navigatio. Porro de patre parum, de fratribus nihil, de noverca rebusque aliis longe minus, quique nam affines illi longinqui, quod Mehcicius adjecerat, obierint, ne verbum quidem. O, egregium fratrem, qui me patriae sitientissimum, ne in causto quidem atque papyro explere voluerit! licetque acrius inclamare: o, durum, et pigerrimum, ne dicam, peregrinum fratrem, et ad meas jam centenas petitiones stipitem! Vides diutinam patientiam meam in furorem jam versam. Quare rogo, et si prae pudore pati potes, etiam obsecro, ne velis posthac tam frequenter a me reprehendi, et a desidia ad officium stimulis revocari, seu potius, si id forte grave est, tumet interdum venias, ut affligas omne corpus, postquam manibus parcis tam delicatis. Hinc ad te novi nihil possum, nisi solitas procerum simul-

tates, atque aerumnas regni, easque nunc silentio demus. Audimus Carolum imperatorem bellum cum Venetis habiturum; neque creditu difficile est, si morem humanae felicitatis intuebimur, quae sacietatis ignorat limites. Nam et nos jam dicitur affectare haec tam auspicata et recens ejus de Germanis victoria. Nec — ut existimo — valde refragabimur, si bene veteres gentis hujus animos considerem, quum solus diu jam putatur esse, cui Hungariae liberatio reservatur. Ac huic ipsi ejus victoriae si quae adhuc alia vel mediocris consequenter alicunde obtigerit: ut jam et Gallo, et Veneto, et papatui timori esse potest, Dalmatia proculdubio vexabitur. Ideo consideratis prius rebus civitatis nostrae parvis, et militari licentia: magna et gravi mercatura, nimiumque longinqua noli te intricare. Urbana utere, quae cum Wlahis exercetur, tametsi exile afferat lucrum, non omnino tamen contemnendum erit, si securum, donec tempora mutent fortunam. Quod reliquum est: Domum cures, patrem, novercam, cognatam, caeterosque nostros omnes meo nomine salutes: Vale. 10. Augusti. 1547. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CXX.

Az álbarátokhoz Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Amicis fucatis S.

1517. sept. 14.

Fateor equidem vobiscum, multa scire principem, vobisque hujusce controversiae nostrae palmam facile tribuo; sed nec illud non affirmando, eandem scire sine vobis longe plura. Atqui ego si tantum a fortuna haberem praesidii, quantum infortunii, viroque serviremus, non foeminae, sane nec vos essetis tam felices, neque ego tam infelix. Vobisque non solum non inservirem, sed ne par quidem, aut amicus esse vellem. Agite itaque res vestras, et a meis abstinete, ne fiam inops ope vestra, pejusque peream, quam perierim. Valete atque facessite. — 14. Septembris 1547. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CXXI.

Cassitius Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Cassitio suo S.

1547. oct. 2. Hieronymus meus a vobis ad me rediit incolumis, et mihi tum verbis tum litteris omnium vestrum mirificam attulit consolationem, illis praesertim partibus, quibus narravit vos recte valere, mei meminisse, et his in locis esse, quae non solum a pestilentia videntur esse secura, sed etiam ab eadem urbe ita absunt remote, ut vobis ne timere quidem incumbat. Gaudeo itaque vehementer, et consilium vestrum probo, cupioque vobis quam saluberrimos hujus ipsius consilii eventus dari. Ad vos vicissim et ego de statu meo omnia laeta rescribo, ut, a quibus me et amari et desiderari minime dubitem, eorum animos reficiam atque confirmem. Porro et optima et optata sum valetudine, rerumque aliarum omnium eo cursu potior, cujus hactenus non poenituit, brevique, auspice Deo, in eum portum perveniam, quem maxime utrique nostrum desideravimus. Nec duri aliud est, quam quod non possum non plurimum sollicitari vestra incolumitate propter vicinum periculum, in quo utique versari cogamini, quantumvis etiam in remotiorem villam abiissetis. Cogito equidem de vobis, mi Thoma, ita assidue, ut ex animo meo nunquam excíditis. In ore vero semper estis, quotiescunque cum

Hieronymo colloquor, qui meos vestrae consuetudinis fructus bis jam hoc anno, homo sane beatissimus, magna cum invidia mea percepit. Nec est quod interim velle possumus, praeterquam, ut aequo animo tempus exspectemus, quod humanis rebus a divina providentia praefigitur, ac fortasse si ad remedium quodpiam aspiraremus, celerius ne hoc quidem, quum in tam communi pestilentiae metu, tum propter absentiam meam afferre possum. Oro tantum atque hortor, ut et illud quod mihi estis daturi, et vosmet ipsos diligenter ab infectorum conversatione custodiatis, ne qua contagione corrumpamini. Neque in civitatem prius vos recipere statuatis, quam in eam plurimos rediisse cognoveritis, fiatque — ut dici solet — in care ante periculum, vel saltem in alienis, ut sic ab omni malo vobis ipsis caveatis. Mihi quidem hac tempestate gratius erit nihil, quam si vos ab ista lue servatos cognovero, quorum ego salutem conjunctissimam immo unam atque eandem cum mea dudum esse teneo, vestrisque commodis non secus ac meis laetor, et incommodis plus quam meis, vestris commoveor. Curetis igitur ut conservemini. Quod ad alia attinet: Scripsi nunc ad te dumtaxat unum, quod coactus sum uti incerto tabellario. Et credo satis hoc etiam futurum officium, donec Hieronymum praemisero. Nam et me ipsum per totum Novembrem vobis polliceor et fortasse celerius. Veniam autem sic, ut jam tandem et illo debito exolvam me, quod scitis, et vos a tanti negotii cura atque cogitatione liberem. Salutes igitur eos ipsos amicos meos meo nomine, propter quos veniam, et in spe confirmes. De aliis rebus, hisque magis arduis, plura clariusque loquetur Hieronymus. Vale. 2. Oct. 1547. Ex Transsylvania. Albae Giulae.

CXXII.

Honther Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Honthero salutem.

1547. dec. 15. Contigit me his diebus intellexisse, quod apud Seculos in sede Kyzdi exstarent vestigia urbis cujusdam pervetustae, quemadmodum et in aliis locis per Transsylvaniam passim videre licet, eamque Romanorum fuisse, ex aedificiis quidam, qui id mihi retulerunt, existimant. Adjecerunt insuper tabulam aeneam ibidem esse inventam, in qua Romanis litteris et Julii et Augusti caesarum nomina continentur. Quae res quum non potest non esse visu scituque dignissima, mirum me incessit desiderium, vel id solum cognoscere, quid in ea ipsa tabula contineatur. Quum autem dicunt eam delatam fuisse Brassoviam, ac tibi, et notario cuidam civitatis vestrae traditam, magnopere rogo te, velis ad me, quicquid in illa excisum sit, describere, idque tam insignis monimenti mecum communicare. Quod si et situm ruinarum ipsius urbis describere non gravaberis, facies tu quidem amice, et pro more tuo etiam humanissime. Caeterum et ad vetera vincula nostrae necessitudinis maximam vim adjunges. Quicquid vero et apud me, tum rerum tum officiorum fuerit, vicissim in te omne conferetur, quaecunque usus tuus et benevolentia postulabit. Illud tamen mirifice cupio, ut quam primum isthoc officio defungare, si me amas, quum desiderum ejus tabulae vix sustineo, tantum est. Vale. 15. Decembris 1547. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CXXIII.

Elver Erneszt festőnek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Hernesto Elvero pictori salutem.

Excellenti pictore opus est reginae meae, filioli 1548. jan. 21. sui octennis depingendi gratia, mihique in Poloniam id temporis venienti diligenter injunxit, ut hujus professionis hominem invenirem, atque ad se quam citissime deducendum curarem. Quare quum diebus proximis essem hic apud Calinicum, virum ingeniosum et tibi singulariter benevolum, quaereremque de pictoribus, si quos novisset ita praestantes, ut regiis operibus respondere possent : te imprimis nominavit, et in hoc virtutis genere adeo et excellentem et praestantem esse affirmavit, ut in excellentissimis et praestantissimis posuerit, postea et opus tuum, praeconio huic de te fidem facturus, quod in duobus primis hominibus collocasti, demonstravit. Quos quidem ita fabre, multorum judicio, depinxisti, ut generasse videaris. Parerga vero, quae his adjecisti, Deus bone, quam viva omnia et naturae propinqua. Nam et serpens, et pomum, et leo, et cervus, et psittaci, et perdices, et phasiani, arbusculaque, et quicquid reliquum est, non aliter, me Hercule, apposita sunt, quam quae ipso semine ingenerantur, et nisi tam nobilis tabella demeret plane omne sui dubium hominibus, quod lignum est, illudque colorum varie-

tate distinctum: singulum sane hoc parergon multorum visum falleret, et ,uvas, aves,' miraculo exaequaret. His igitur inspectis et diligentissime consideratis, animum meum in te mirifice transtulisti, tuique solius laudatorem effecisti. Nec jam ullum alium pictorem volo, quam te, cujus penicillo suavissimus et scitissimus princeps meus Joannes effigiatur. Neve de his plura. Ambo hac de re scribimus ad te cum Calinico, magnopereque petimus, ut nos quam primum non solum facias certiores, an ad id voluntatem sis habiturus, sed etiam rogamus, ut eam habere velis, demumque, ubi provinciam susceperis, Cracoviam ad me matures, nihil istic relinquens, quod hic apud me iter tuum in Transsylvaniam remorari posset. Nam illic, quod ad colores attinet, non facile multa, immo ne necessaria quidem ad praeclariora opera audeo tibi polliceri. De omnibus itaque his domi cogites, et instructus advenias. Quicquid autem ad perveniendum eo commode atque secure, fuerit tibi necessarium, id totum mea cura atque industria providebitur. Nec dubites, quin ab ejus majestate omnia sis reportaturus, quibus et res et nomen tuum cumulabitur. Vale. 21. Januarii 1548. Cracoviae.

CXXIV.

Kindler Jánosnak Verancsics Antal.

Antonins Wrancius Joanni Kindlerio suo salutem.

Hac ipsa hora litteras tuas accepi, et ad te meas 1548. febr. 3. dedi, quum amici tui, qui tuas reddiderant, praesentem copiam tabellarii pollicerentur, et jam jam equum insessitare illum affirmarent. Equidem esse te incolumem, et fastiditum jam otio domestico, quum ex alio fuerim laetatus vehementer, tum ex alio plurimam etiam capio voluptatem, et institutum studiumque evolandi in atria principum ex privatis laribus probo ut quod maxime. Quid enim homini juveni, eique litterato, ac jam cognitione rerum, urbium, provinciarum et diversarum gentium morum non exigua imbuto, aut decentius aut conducibilius esse possit, quam in luce et in summorum hominum concursu versari? eaque in re quid quam sanctissime sentiam, clarius tecum loquar. Quum enim ad me deductus eras e schola litterarii ludi, mihique commendatus esses per magnos viros, equidem vel jam tum agnoscebam et plane videbam istos praeclaros animi tui motus, quum et orbem lustrare egregia sollicitudine ducereris, et virorum ora non solum non exhorresceres, sed etiam ad omnia summa majoraque, quam multi aut possunt aut soleant domi, spiritum comparares. Quapropter et nunc quidem, postquam tibi tam

fauste tamque feliciter initia processerint, laudisque jam non exili vestigio limen occuparis, non etiam omni conatu eo loci, eaque in hominum celebritate atque frequentia vitam excolere, et virtutem atque ingenium exercere, ubi votis, vigiliis laboribusque tum honos, tum fortuna respondere consuevit, mirarer sane plurimum consilium tuum, et dolerem de judicio. Verum quum id voluntatis conceperis sponte tua, meaque opera in aulam principis meae insinuari deposcis, nec monendum te, nec urgendum duco, sed laudandum et juvandum potius omni ope contenderim, qui tam ingens industriae principium longius velis promovere, ut tam multa, quae peragrando orientem et videris et noveris, usu aliquo ad utiliores et perfectiores fructus perducas. Vellem tamen pro mea in te vetere et dudum bene constituta benevolentia, ut eum campum cursui fortunae tuae deligeres, in quo demum sudorem palma victoriae detergeres. Porro feliciorem aulam tibi suaderem adeundam, quam nostra est. Nec pluribus explico. Quicquid alioqui uspiam afferre potero studiis meis commodo atque ornamento tuo, tibi hoc largissime vereque totum polliceor. Edico insuper, quod nunquam abs te rogari cupiam, sat erit voluntatem insinuasse. Nam expertus es, idque non ita pridem, quanta propensitate vel ex parva nostra illa consuetudine fuerim erga te, quum contubernio meo utebare. Nunc certe omnia ex me licebit tibi ampliora sperare, postquam video te in eum virum evasisse, et fateri istuc ipsum esse meae disciplinae, de quo amplissima spes atque exspectatio concepta est. De Victrico tuo, praestanti medico et viro doctissimo, quem dicis ad servitium principis meae in Transsylvaniam peti, hoc habeto:

Honestissimum est et fortunae non mediocris, inservire principibus, conditioque illa Victrico tuo non est meo quidem judicio abjicienda, quam si complecti voluerit, habiturus est et liberalem et clementem et affabilem principem, nec minus ad augendam rem idoneum locum, praesertim si studebit gentis ejus voluntati sese et consuetudini accommodare, quod instituti ubique locorum ab externis requiri solet. Fidem autem, quam in Hungaris expavescit, non est cur paveat, si enim cretizant cum Cretensibus, et in Poenos Poeni sunt, scito, militare esse dolos dolis retrudere. Nemini alioqui probo molesti sunt, et omnis, quam hac in parte perferunt ignominiam, livor est et calumnia adversariorum. Caeterum si tanta princeps et tot insignes atque praeclari viri — de externis loquor — belle habeant sese inter eos, quid uni Victrico tuo erit timendum, qui et humanus et beneficus, salutemque ac vitam largiens Aesculapius venturus ad eos est. Nihil itaque vereatur, eoque maxime, si summi alicujus principis intercedet commendatio. Te ibi volo esse, ubi est frequentia, et juventus per virtutem atque ingenuos labores latius exercetur. Aula Transsylvana modica est et graviori aetati magis accommoda. Vegetes spiritus ardua exspectant. Pictorem Rullum, postquam abest, nolo vestiges. Alius est Wratislaviae, Hernestus Elverus, quem ajunt Rullo excellentiorem, dedique ad eum cum Calinico litteras de hoc. Quare isti instes, oro, et persuadeas, ire ad reginam meam ut velit. Quocum si tu quoque venire statueris, non deero tibi in isto tuo desiderio, et una atque eadem commendatio mea apud meam principem secum uteris et itinere deduceris. Vale. 3. Februarii 1548. Cracoviae.

CXXV.

Lazsota Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Lassotae S.

1548. febr. 14. Quas mihi Martinus amicus tuus, orator ab ista majestate regis tui in Transsylvaniam missus, Albae Giulae adhuc in Septembri mense debuit a te reddere litteras, eas heri reddidit Cracoviae, quum ante adventum ejus illinc ego discesseram, nec uspiam in itinere obvium habueram. Hisque litteris tuis nihil sane abs te hoc tempore nec secundius nec acceptius ad me afferri potuisset. Quum enim habuerant in se insigne quoddam et clarissimum tuae, erga me propensissimae voluntatis testimonium, tum quantum et litterae meae proxime ad te datae delectarunt, et consuetudo ipsa sit delectatura, luculentissime declararunt. Equidem functus sum ego non segniter officio meo, qui te ad scribendum lacessiverim et ad usum amicitiae provocaverim. Sed nec tu quidem tuo defuisti, qui omnibus his tam accurate atque amanter respondisti, ut plane agnoverim, magis me hoc stimulo eguisse, quam te. Et nisi turpe putarem vinci in amore sine certamine, victum me et superatum quum amore, tum humanitate tua confiteri non renuerem. Verum quum quicquid hoc nostri vinculi est et necessitudinis, in primordiis et praeludiis consistit, nec tu tibi tam facile debes, nec ego mihi non polliceri de victoria, quum et animi nobis

propensi sint, beneque ad officia instituti, et arenae tantum restat ad certandum pro mutuo amore, cultu, observantia, quantum et ad vetera exempla sive Pyladis sive Thesei exaequanda et nova constituenda sufficiat. Amemus itaque et redamemus nos mutuo, mi Lassota; gratissimum erit hoc certamen mihi, de quo quidem, quantum ad conatus meos attinebit, omnia ea ingenue tibi offero spondeoque, quae tu de tuo mihi constantissime polliceris. Quod vero de statu ac salute rerum Hungaricarum scire vis, vix possum aliud scribere, quam vetera, eaque omnia dura atque difficilia, nec minus dubia, quam quae jam casus occupavit. Ferdinandi factio variis studiis agitatur, quod et foedus quinquennale ictum cum Turca indigne ferant, utpote damnosum, et avocato fratre ejus Carolo imperatore novis Italiae motibus, a quo vel hoc tempore devictis atque subactis Germanis, omnem spem restitutionis suae exspectabant, deludi sese arbitrantur. Neque ob haec desistunt quidam reguli modo digladiari invicem, mutuis studentes praedationibus, modo cum finitimis Turcis decertare, quod audere et si generosum est, spirituque Hungarico non indignum, vi tamen minime pari videntur contendere, quum omnem victoriolam, qua velut in cursu potiuntur, multa suorum caede, villarumque atque oppidorum eversione persolvunt, odiisque odia cumulantur. Nostra pars foro utitur, silemus, assectamur, donamus, servimus, obsequimur, idque quamquam miseri et cum rubore, non tamen inutiliter, quoad Deo placuerit. Caeterum si perniciosae quaedam contentiones et irrequietae controversiae modum non excederent, dudum in vado fuissemus, hisque nisi divina ope providebitur, vereor ne brevi hauriamur. Vale. 14. Februarii 1548. Cracoviae.

CXXVI.

Kmita Péter krakói főispánnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Petro Kmitae palatino Cracoviensi S.

1548. sept. 20

Proximis litteris ad te nova Italica non perscripseram, tabellarii praecipiti festinatione prohibitus. Jam enim erat in equo, et perarduo negotio — ut ajebant — publico urgebatur. Ea igitur his habeto. Romae de concilii loco magna et jam diutina contentione disceptatur, quod pontifex nulla vult ratione Tridento restituere, non imperator Bononiae permittere; lateque palam metuitur, duos post obitum Pauli fore pontifices, alterum Tridentinum, Romanum alterum, si pro arbitratu Caroli Tridenti de concilio transigetur, ubi adhuc Hispani episcopi quadam non omnino vana de causa, caesaris jussu, velut umbram concilii, delegati jam eo loci a tota ecclesia, custodientes, perseverant; qua pertinacia quantum pontifex offendatur, dici non potest, nec quisquam existimat, bono cum animo esse erga imperatorem, quamquam multa utrinque speciosa propalam simulentur. Dicitur enim plane pontifici constitisse, quid in ecclesiae dominium temporale Caesar voluntatis conceperit; et hactenus proculdubio movisset cum Gallo aliquid, quod etiamnum eo ardore est ac studio rerum gerendarum, ea tenetur gloriae cupiditate pontifex, ut vel ipsos reges credatur animo antecellere. Sed conditione nepotum

prohibetur, qui in nova fortuna et in recentibus principatibus, hisque magna ex parte alienis, constituti sunt. Nam tametsi multa premat anxio et exulcerato pectore ob caedem filii: Caroli tamen fortunam videt animum multorum ad sese traxisse, eamque jam et sibi et aliis quum Italiae, tum ipsius orbis christiani turbatoribus non oppugnandam, sed reverenter habendam ducit esse. Potissimum autem exspectatio principis Hispaniarum omnium mentes tenet suspensas, quem — ut publicae vocis murmur est, — pater ad Italiae primum regnum efferre meditatur, deinde ad imperii quoque consortium sibi conjungere. Sed etiam secretior erat quorundam sermo, procurare apud Gallum pontificem, ut ei in Italiam iter mari intercluderet, idque jam aggressum fieri, heri ad nos allatum est Nurimbergensium litteris. Ferebatur et illud: regem Lugdunum venturum, gratia ejus urbis muniendae et peragendarum nuptiarum filiae nothae, Horatio nepoti pontificis desponsatae. At nudius tertius acceptis litteris ab amico quodam Forojuliensi, nunciavit ipsum regem, transito monte Sinesio, in Insubres quoque pervenisse, et esse jam Taurini cum mille equitibus cataphractis, et peditum V. m.; quae civitas et Placentiae et Mediolano vicina est parvo intervallo. Eaque res si vera sit, arbitrantur, machinas esse pontificis, et verentur mirifice, ne is pontifex novellum illum regem, eumque juvenem, infelicius cum imperatore committat et in majora adducat praerupta, quam priores parentem ejus Franciscum adduxerant. Constantia quoque adierat periculum servitutis, civitum quorundam intestina improbitatis audacia, sed melior pars urbis altera, cognito mature insperato discrimine, retenta civitate, et Hispanis, qui ad rem

circiter MD. missi fuerant, repulsis et magna ex parte vulneribus affectis, caeso duce, gravissima caesarem ira succenderunt, ita, ut in eos exercitum apparare firmiter diceretur. Alia ex parte apud Germanos jam subactos ,Interim' hoc, quod interimit, et quo perit justus, mira animorum in caesarem orditur interstitia, quum ferro et vi comitetur. Unde omnes suspicantur, brevi imperatorem non uno loco negotium habiturum. Nam Italiam eripi sibi pontifex, Gallus Venetique, quod perspicuum est omnibus, non sustinebunt. Helvetii Constantiae promiserunt suppetias, Germanorum vero multi jam pro evangelica professione moliri atque intendere contentiones nunciantur, quam sibi imperatorem publico diplomate ac fide caesarea firmam ac tutam fore dicunt promisisse, dum ei faciebant potestatem sui. Sed haec eventus viderint. Vale. 20. Septembris 1548. Cracoviae.

CXXVII.

Utissenics Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Utissenio episcopo Varadiensi, ac in Hungaria et Transsylvania proregi S.

Heri prandebam apud Severinum Bonarum, ibique inter alios convivarum sermones idem Bonarus narravit, litteras se habuisse ab insigni quodam et magna fide viro, qui scribebat, pontificem nuper in Ferantem Gonzagam, Mediolani gubernatorem validas insidias immisisse. Summus earum ductor erat unus ex illis, qui Petrum Aloysium Placentiae non ita pridem interemerat, eoque ipso facinore obtenta apud Gonzagam gratia familiaritatis, nihil tale de se existimarat. Sic enim hoc tempore scelera sceleribus expiantur, et venia atque remuneratio novis promeretur. Igitur iste ipse, ascita sibi necessaria manu sociorum ex diverso hominum ordine clandestinis foederibus, armat se se opportuno tempore rei peragendae brevi sub veste sclopo, et cum caetera aulicorum turba intrat gubernatoris cubiculum, quod meditatae caedi dedicaverat. Forte fortuna, seu — quod magis creditur — ex composito in extremis constiterat, jamque facinus aggressurus, coepit mutari in facie, vario tum colore perfusus, tum oculorum et reliquarum partium oris instabilitate signa quaedam malae cogitationis prae se ferre, animadversione non difficilia. Dum ad ictum impeditiores fortasse ob trepidationem ex-

1548. oct. 13.

pedit manus et machinam : unus ex custodibus principis, qui sorte proximus astiterat, inspexit hominem, vídensque vultum ejus insolita mutabilitate variari et rerum, nescio, quid sub veste agere, oculosque modo in principem dirigere, modo circumspectare caeteros, praecipitantius quippiam maturanti similis: fixius illi vacare incepit, tandemque veluti divino instinctu monitus, mirabili et fortuna caesaris, quia in Mediolani casu Italia quoque ipsa periclitabatur, et Gonzagae fato, cui vita de pilo pendebat, proclamavit, sicarium esse in domo principis, hominemque digito ostentans, sollicite etiam ut facesseret, adigebat. Ad clamorem ejus omnis in eum reliqua turba convertit facies, et quid rei esset, quaeritando accurrit. Ille pudore ac metu victus, extemplo in hos, a quibus jam non paucis e cubiculo trudebatur, intendit sclopum, ac minari coepit, ne quis accederet; eoque modo plane jam de illius facinore creditum, fit in ipsum districtis ensibus undique impetus. Verum quum metu sclopi, quo se, pedem referendo, acerrime tutabatur, ab ullo neque capi, neque vulnerari potuit, fenestram tergo assequutus, saltu sese ex ea projecit. Ne tamen tam audax atque nefarium scelus vel ipsa fata sinerent impunitum, in lapidem parum firmum desiluit, ibique, lapso in obliquum vestigio, crus comminuit, et a satellitibus haud mora consequutus, oppressus est. Suscitato in curia tumultu, participes conspirationis, qui per urbem erant dispositi, rati rem insidiarum prospere authori successisse, multis ex locis libertatem acclamarunt. Sed repente subjecto quaestioni sicario, sine longo cruciatu fatetur insidias, prodit socios, et totum rei ordinem exponit. Inde in civitatem emisso milite, persuasum inprimis de inco-

lumitate gubernatoris, deinde metu caedis presso tumultu, quamvis multi latebris et fuga salutem quaesivissent, parva tamen mora plurimi inventi, non ex urbanis solum hominibus, sed etiam ex castrensibus ac praetorianis militibus, qui omnes rapti in carceres, sine ulla dilatione vario suppliciorum genere afflicti sunt, nec vel uni vita condonata. Regem Franciae, quem aliis litteris scripseram cum exercitu venisse in Italiam, ea spe, ajunt, fuisse pertractum, ut Mediolano earum insidiarum ope potiretur. Sed audito exitu infelici, subito itinere in Gallias redierat. Imperator, qui sub hoc ipsum tempus in Flandriam se se receperat, et militem comparare erat dictus, id ea ratione fecisse existimatur, ut propius domum Galli admoto malo, et hostem retrahat ex Italia, et filio opposita impedimenta venienti ex Hispaniis distineat. Hinc quantus tam in Gallum, quam in pontificem ejusque omnem posteritatem, cui tantopere ab initio papatus sui semper studuit, immittetur ignis ab imperatore, quanta et ipsi imperatori propter institutum consiliorum suorum cursum, afferetur molestia atque sollicitudo, multi mira suspicantur, quoniam ex his facile patefient mutuae omnium simultates, quas hactenus parum per integram officiorum atque amicitiae demonstrationem coxerunt in pectoribus. Vale. XIII. Octobris 1548. Cracoviae.

CXXVIII.

Utissenics Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Utissenio episcopo Varadiensi S.

1518. oct 16. Si quae apertior inimicitia atque contentio erit cum imperatore pontifici, uti ex his seminibus fore opinantur, quae litteris prosequutus sum, quae ad te idibus Octobris dederam, certum est, pontificem nihil intentatum relicturum, quo se tueri posse existimabit; neque ullum eorum praeteriturum, quos bene sibi affectos esse confidit, pollereque authoritate atque potentia cognoscit, quin in suam opem sollicitare adnitetur. Hinc jam duo illa, quae primis litteris ad te scripseram statim in reditu meo ex urbe, diligenter perpendas. Alterum, quod per me pontifex tibi nunciavit, alterum, quod Mapheus episcopus mecum tuis de rebus contulit. Nam circa haec sermo ille noster, cujus narrationem tibi praesenti reservabam, versatus est. Igitur vide, quid acturus sis, ut de tanta dignitate, quam multi cum ingenti labore et largitione non assequuntur, tu tibi sine et impendio et negotio possis consulere, postquam de se ne ambienti quidem ita peremptam atque paratam offert, ut ultro in tuas manus videatur velle venire. Quum itaque ejusmodi necessitate laboraturum pontificem speretur, fore non est dubitandum, ut inter caeteros tua quoque, quemadmodum nunciavit, utatur opera, meoque certe consi-

lio, operae pretium erit, si hominem tuum cum titulo legationis assidue tenebis Romae, aut saltem frequenter mittes, hoc praesertim tempore, neque adhuc in posterum ullis officiis deeris, quibus hactenus partim summi pontificis tam uberem gratiam promerueris, partim primariorum cardinalium tam propensam amicitiam, tamque singularem favorem erga te compararis. Credere forsan nec tu ipse potes, quanta et nominaris in urbe, et habearis existimatione, quantumque tum litteris, tum nunciis tuis ibidem apud patres tribuatur. Sed dubitare nihil debes, quum inter alios tuos ego quoque, qui me tibi alienum non duco, ita perspexi atque cognovi, ut alius nemo. Jam si forte imperatoris Caroli respectu detineris, nec partes pontificis quoad per te fieri posset, juvare velles, equidem laudo integritatem et constantiam tuam. Cogites tamen, imperatorem ex his valde pauca adhuc praestitisse, quibus te suo et fratris beneficio ductavit, Hungariam vero saepe jam ejus exspectatione frustratam, et casus adiisse gravissimos, multa insuper conatibus ipsius deesse, et ea, quae videtur esse consequutus, nondum esse extra — quod ajunt — pulverem atque aleam fortunae constituta; futurumque haud ita multo post, ut magnis curis ac difficultatibus occupetur, tametsi spes, quam nos de eo concepimus, non est nobis contemnenda. Verum interim favor pontificis, et voluntatis in te ornando tam inclinata propensitas, dum ille cum suis cupiditatibus colluctatur, et in orbis molem saepius experitur, ac defatiget fortunam suam, minime tibi est negligenda, sed aut nunc prorsus summa sedulitate perurgenda, aut frustra paulo post exposcenda, quum aliam faciem res ejus attulerint, quippe quod et morti quum

sit proximus, an eadem tibi de successore poteris polliceri, dubium est. Utaris itaque occasione atque fortuna tua, ultro sese tibi offerente sic, ut te in aliis quoque tuis accessionibus semper ad hoc tempus fecisse cognovimus. Haec seorsum peculiari epistola scripsi, partim ne in ea reperirentur, quae propter nova plurium fortasse manus permeabit, partim ratus me non satis officio studioque meo erga te facturum, si hoc novarum ejusmodi rerum momento memoriam tibi saltem tanti negotii non suggessissem, et haec quidem bona tua venia, quum mihi, quid hac in re sive animi sive curae habeas, nihil plane constat. Fidem tantum atque amorem meum, quo sum in te, exerceo, tibique declaratum esse cupio. Vale. 16. Octobris 1548. Cracoviae.

CXXIX.

Laski Szaniszlónak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Stanislavo Lasco, Syradiensi palatino S.

Misi lucubratiuncularum mearum quiddam ad te, 1548. nov. 25. et ad Joannem Bonarum, tanquam digustamenta quaedam reliqui et futuri operis, quod mihi de successu rerum Hungaricarum ab obitu Mathiae regis contexitur, id ipsumque idem Joannes pro sua singulari humanitate porriget amplitudini tuae. Quicquid autem hoc est, quod vobis a me mittitur, quave etiam ratione ostentetur, si tamen ostentatur, facilius quidem vos aestimabitis, quam ego ulla excusatione idonea sive commento quippiam aliud persuadere possem, quum nemo est etiam ultimae sortis mortalium, qui aliqua gloriolae cupiditate non ducatur. Boni itaque consulite, mecum, ut cum homine, qui errare potest, agite, et judicate omnia libere, — nihil hac in parte benevolentiae dantes — tamquam ea, quibus adhuc cum lituris non parum est negotii. Proinde idem Joannes a me per litteras plurimum rogatus, deferet ad te officia mea verbis non minus fidei plenis, quam fortasse magnificis. Verum quum in papyro calamus est, mea quoque hoc ipsum testetur manus oportet.

Quare, amplissime palatine Lasce, offero tibi eadem officia et obsequia mea, omni cum propensitate, tum alacritate animi quam maxima. Quibus, oro,

ut uti velis pro arbitratu tuo, meo vero desiderio sine ulla temporis intermissione, idque si non in aliis multis rebus, ad quas multos prope te nobilissimi generis viros habeas domi, postquam ego longius abero: at saltem in his, quae ingenio, studiis ac voluntate praestari possunt, quantumvis ipso ortu atque occiduo disjungeremur. Etenim erit hoc mihi de perpetuitate gratiae atque amoris tui erga me certissimum argumentum, si vel absenti imperabis parere volenti. Vale. 25. Novembris 1548. Cracoviae.

CXXX.

Bonar Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Bonaro suo S.

1548. dec. 12. Vidi Ogrodinecium, et Rapstinum vestrum, nobilissimas et pulcherrimas arces, in quibus quoque, uti scripseras ad praefectos, habitus sum sane quam optime et honestissime. Ago igitur tibi gratias, quas saepe soleo, verbis, animo et voluntate ad referendum propensissima. Neque enim a praesenti mea fortuna quispiam aut amicorum, aut dominorum meorum potest ullas majores exspectare, tua etiam domus ne exigere quidem, quae me, ut alumnum suum, si sic a me candor tuus, tua nobilitas et clarissima institutio dici non indignatur, ita sibi jam pridem multis tum beneficiis, tum officiis vendicavit, ut nihil mihi apud Bonaros, quod honestum sit, non licere confidam.

Sed haec in otiosius tempus differamus. Rapstino etiam in praesentia seposito, Ogrodinecium aggrediamur. Deus bone, quantum et quale est Ogrodinecium. Quanto opere, labore, industria, cura, pecunia atque artificio constructum est. Quanto item cultu, elegantia, majestate et magnitudine, rerumque singulariter pretiosarum valore et plenum et exornatissimum est. Poterat quidem prudentissimus et ingeniosissimus pater tuus, Severinus, longe procul dubio majus atque augustius edificium condere, — ex summa enim ejus prudentia atque ingenio, locupletem etiam credere consentaneum est, — quicquid tamen, mea quidem scientia, judicii, artisque et operis exquisitissimi in Ogrodinecium suum contulit,praestantius quidem certe, in illis praesertim horridissimis cautibus conferre atque aedificare non potuit. Quid enim cavata illa durissima et latissima rupe, in qua inferior pars insidet Ogrodinecii, et quae novo fortasse cuidam Xerxi, montium complanatori commodius debebat reservari, laboriosius et admirabilius? Quid habitationum numero, proportione atque ordine distinctius? Quid earundem, laqueariorum, pavimentorum, fenestrarum, picturarumque et diversorum principum imaginum ornatu praestantissimo, tamque varia supellectile jucundius, opulentius, multiplicius esse potuisset? quaeque ita omnia suo loco cum aestimatione et decoro posita sunt, ut melius etiam ingeniosissimus posset nemo. Jam armamentarium, ut omnigenas munitiones, uni fere civitati sufficientes, et bombardarum tres onustissimas stationes, scloporumque, quorum congeries in omnibus muris occurrit, nitidissima, et parata cum attinentiis suis omnia praeteream, non equidem immerito attentius commemorabo. Quod sane

sive ad armorum diversitatem, multis nationibus peculiarium, sive ad copiam multis hominibus sufficientium expendis, adeo utroque commendari atque extolli potest, ut et multitudini nominum, et varietati nationum affatim arma suppeditare posset. Hic enim Gallus cassidem, loricam, ocreas, Germanus piccas, ac secures, Hispanus archibusios, veruta Italus, et spatas ambo punctim ferientes, hic Britannus pila, hic umbones Persa, hic Turca atque Hungarus, quibus est Mars idem, frameas, hastas cum flammeolis, et totam thoracem tegentes, caputque superantes clypeos, hic arcus et sagittas fugiens fortior Tartarus, Moscusque et Valacchus iis non dissimiles, hic demum Macedo et Slavus a gloria nomen sortitus, seipsis gladios longiores reperirent. Nec vacat omne genus recensere, sive armorum, sive nationum quaeris, quibus quidem diligenter primum pervidendis, rite dehinc describendis omnibus, sine controversia annus esset assignandus. Quum ad haec et Indicas, et Scythicas, et Hybernicas Goticasque quasdam ad feriendum machinas erat ibidem cernere. Si propterea de musaeo librariae supellectilis, si musices multa, eaque variarum gentium instrumenta, aliasque id genus complures artium facultates enumerare voluero, pleno libro, et calamo sane uberiore, quam Wrancianus est, opus erit. Nam gentium quoque novi orbis — ut volunt — e psitsacorum plumis concinnatas vidi duas vittas, res inquam visu apprime dignas, ac mihi ea pars illorum mortalium ornatus pridem jam et audita et desiderata, vidisseque plurimum placuit. Nec potui de beatissima simplicitate atque innocentia eorum cum accusatione nostri luxus non aliquid mecum recogitare. At en et Curanoga,

tanquam a me incuria praetermissa, convicio prope locum hic efflagitat. Nec immerito quidem. Oratorum enim more ab oeconomo mihi, ut caeterarum partium excellentissima, atque ad integram commendationem totius Ogrodinecii accommodata, postremo est ostensa. Solent enim ii in peroratione omnem vim ad persuadendum et impellendum animos hominum, quo velint, reservare, ut sic tota oratio fiat acceptior. Quare et Curanoga mihi posterius hac ratione nominatur, ut cumulatius laudanda. Quae quidem habitatio tantum mihi arrisit jucunditate sua, sibique illo praecipuo cultu atque ornatu rerum vendicarat, quod Palladii cujusdam genii divinitate conspicua, iisque, qui Musarum famulatu pallent, oppido salubris et accommoda esse visa est, ut ex ea aegre discesserim. De cujus laudibus ne multa congeram, hoc a me tributum illi satis erit, quod recedens inde, maxime mecum ingemuerim, me quoque dispensatione superum Severini Bonari natum natum non fuisse. Impudentia haec forte tibi videbitur. Fateor equidem, sed id vel ea ratione ab immortali Deo consequutus esse voluissem, ne sic inviderem. Et invideo non ego quidem solus, sed mecum multi studiosi, quam invidiam, quaeso, non vitio nostro, sed honori ac felicitati vestrae vertito, cui quidem, qui invident, ut doleant, sordidi sunt; at ego honorem vestrum effero, et felicitati precor aevum sempiternum. Sed Ogrodinecii amoenitati, recessuique jucundissimo, qua in re imprudens prudens sum, mirifice invideo, meumque vel ex hoc clarius cognosce de Ogrodinecio judicium. Quod enim olim Romae erat domus Neronis aurea, quod nunc in Galliis Francisci regis est Fons Belaeus, hoc ego in Polonia Bonarianum censeo esse Ogrodinecium. Si

quid uspiam ejusmodi tertium est, simile quidem vix est. Sed ut de aurea Neronis taceamus, quae urbis instar fuisse fertur, et jam in cineres versa est, de Ogrodinecio, et Belaeo Fonte testemur. Nam parum impari conditione mutuo contendunt. Alterum enim regia mole atque auspiciis praestat, alterum vero regio certe supellectile, cultu, elegantia. Et quantum quae summa sunt, jure minoribus anteponi debent, ita si minores summis accedunt virtutis atque ingenii gloria, minime sua aestimatione puto fraudandos. Quod si et fluvius necessitate vestrum Ogrodinecium incommodatur, et saxorum ad fastigium prope ejus attollentium sese aemula, et nimis propinqua hostilitas infirmat, prospectu sane quam longissimo et quam latissimo minime cedit Fonti Belaeo, qui silvis ita premitur, ut a semetipso parum ultra videt. Adde, quod et informis est, suaque late laboret magnitudine, nec ob id absolvi facile potest, ut fieri coepit, neglectuque aulico ita hic illic atteritur, ut subinde cupiat reparari. Ogrodinecium haec omnia sine negotio a mediocritate sua consequutum, ita est absolutum, ut ad perficiendum nullas jam manus desiderat. Vigilantia vero atque cura tanta custoditur, ne quid ei lucis, integritatisque vel a pulveribus aut a situ detrahatur, quanta fortasse non, si totum aut ex auro fusum esset, aut ex adamante constructum. Habes, mi Joannes, Ogrodinecium, non quantum condidit pater tuus nobilissimus, sed quantum per me in litteras duabus ferme horis referri potuit. Alias per otium uberiora pollicemur. Mitto tibi et illustri palatino Lasco, nostro inquam Lasco, et omnium eorum, qui virtutem viri cognovere, duo fragmenta historiarum mearum, utinam non ineptiarum, quarum aliquam par-

tem tantopere a me flagitasti. Quod potissimum mitti volebas, nequivi exiguo temporis spatio describere. Opus enim est plurium dierum, limaeque et cognitionis eget diligentis. Non te tamen diu tenebo, quippe quod ubi primum auspice Deo in Transsylvaniam penetraro, mox tibi ea in re morem geram. In his interim si non satisfecero palatini nostri stomacho, qui nobilioribus meliusque conditis epulis assuevit, quum nostrum penu tenue est, dices primam esse tabellae adumbrationem, eamque me more Apellis proponere adjudicandum. Si hac forte excusatione tuti erimus, bene habebit, sin minus, quum aure est purgatissima, et eruditione non postrema, oro te, mature habeas, quid ad rem respondere possis, satiusque ducas, dissimulatione rejecta, secura navigatione uti, fatendo ingenue, melius nos non posse, nisi si quis Deus optati otii copiam faceret. Judicium ejus pro amore, quo est in te, proque humanitate, quam in omnes liberaliter et sine cunctatione exercet, clarior ob id et domi et foris habeatur, incumbe, ut impetres, et ad me perscribas velim. Polliceor eo me sic usurum, ut aliud cujuspiam non requiram. Isthaec autem scripta, quae ad vos misi, da operam, rogo, ne, praeterquam in vestris, in ullorum hominum manibus versentur. Opus enim adhuc est implume, et, quum odiosa, plenaque invidiae esse soleant, quae ante in lucem exeant, quam luce author — quod larvis plerumque facilius parcitur — imminentibus atque praevisis telis prudentia occurrere, operae pretium erit. His obsignatis ego currum conscendo. Tu Stanislao Lasco, illustri nostro palatino, digno sane, quod gerit, cognomine, commendas me diligenter, et cures, ut Charitum ejus vel unam mihi desponset, quibus non co-

gnomentum solum, sed pectus etiam ita foecundum habet, ut eas nobiscum communicare facile et sine jactura sua poterit, modo velit. Si enim his Sarmatia, in qua natus est, si Germania, Britannia, Gallia, Hispania, Lusitania, Italia, Hungaria, Turcia, et pene totius tum Asiae tum Europae meliores partes, plagaeque nobiliores usae sunt sine parsimonia atque defectu, in quibus regionibus magno cum splendore partim cum Hieronymo fratre clarissimo, et toti orbi notissimo viro, partim suo ductu, nihilo fratris fama atque nomine inferior versatus est, mihine deesse poterunt, ac patietur siccari fontes? Impium sane id esset credere. Tibi et Stanislavo fratri tuo offero mea officia, ac Superos peto, ut sicut clarissimus parens vester feliciter absolvit Ogrodinecium, et tam insigne adjecit Poloniae ornamentum, sic vos quoque felicissime honestissimeque longa cum serie nepotum eodem perfruamini. Vale. 12. Decembris 1548. Cracoviae.

CXXXI.

Sebesi Pálnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Paulo Sabesio familiari suo.

Ut ego erga te ille ipse nunc quoque sim, qui 1549. jan. 10. semper fuerim, et quem in omni vita atque fortuna mea tibi me futurum obtuleram, dum hinc discedebam, facio te de reditu meo certiorem, cupiens eundem eo erga me invenire animo, quo dimiseram, quandoquidem eodem ipso et ego quidem in te sum, quem saepe alias expertus es, et habuisti perspectissimum; deque illo quam semper sive spem sive opinionem tenuisti, nunc quoque et hac et illa securus esto. Non deerit tibi unquam, nisi si et me destituerit. Igitur scito, me reverendissimum dominum proregem nostrum hic exspectaturum, nisi alio advocarit. Tu si ad me venire volueris, venies desideratus, et eris eo loco, quo fuisti antea; futurus autem meliore postea, si et nos erimus. Forsan — uti spero — serenius jam hoc tempore arridebit mihi fortuna, Deo aliquo discutiente nubes has, quas luci meae induxerat. Vale. X. Januarii 1549. Varadini.

CXXXII.

Cristanusnak *) Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Cristano suo.

1549. febr. 1. Intellexi proxime a quibusdam amicis nostris communibus, quod etiam doctor Martinus Brennerus vir praestantissimus mihi affirmavit, te Bistriciensem situm et istam Transsylvaniae totam plagam in tabulam corographicam redegisse. Quae res quam sit futura grata litteratis hominibus, quantoque etiam quum patriae tuae, tum tibi ipsi erit ornamento, ex immortalitate, quam hinc es habiturus, facilius cognoscetur, quam cujuspiam lingua eloqui, aut calamo exarari possit. Tibique equidem, Hercle, mirifice gratulor, qui tam praeclaris istiusmodi actionibus tuis multiscium, nobis et patriae decoris nominisque studiosissimum Joannem Hontherum non sublatum nobis, sed repositum esse ostendis. Macte igitur virtute, mi Cristane, urge vestigium fortiter, quod strenue occupasti, curesque patriam illustrandam; sic enim et tu — ut Virgilius ait – ad astra scandes, et nosHonthero privati minus dolebimus, ubi te authore omnibus his magna tua cum gloria fruemur, quae nobis multiplex Hontheri eruditio, industria atque ingenium suppeditabat. Ego vero ne operis hujus tui tam praestantis laudator tantum videri velim, magnopere cupio etiam possessor haberi. Quare peto te majorem in modum, ef-

---

*) Kétségkivül Pomariust érti, kinek előneve „Christianus", Keresztély volt.

fice, ut pro vetere amicitia nostra, cujus mihi adhuc integra est fiducia, obtineam abs te unum exemplum ejusdem tabellae, fruarque cum caeteris amicis tuis tam insigni lucubratione tua, omni quidem hominum memoria ac luce dignissima. Erit mihi hoc officium ita, Cristane, jucundum, gratum, acceptum, ut quod jucundissimum, gratissimum, acceptissimum; viceque versa quicquid nos quoque quacunque in re pro facultate nostra tuis votis praestare poterimus, nihil, edepol, erit, quod recusabimus; dabimusque omnem operam, ut acceptorum a te simus non immemores. Quoscunque autem sumptus tabella ipsa exegerit, eos tibi, quamprimum quod aut impenderis, aut erit impendendum, feceris me certiorem, sedulo mittam. De rebus ac statu meo denuo, bonis avibus, et fortuna jam mitescente, instituendis, pluribus ad te postea scribam, ubi, quid mecum transigetur, intelligam, immo et sentiam. Vale. Kal. Februarii 1549. Albae Giulae.

CXXXIII.

Vagner Bálintnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Valentino Vognero salutem.

1549. febr. 1

Annus est, quod ab optimo et praeclaro viro, omniumque hominum lacrimis deplorando felicissimae memoriae Joanne Honthero petieram, ut elogium tabulae cujusdam aeneae, apud Seculos repertae, et Brassoviam ad vos delatae, perscriberet ad me. Quod ipse ut vir in amicitia singularis, et officiorum plenus, quamquam summa diligentia votis meis satisfecisset, eo tamen tunc quoniam me in Italiam abire contigerat, litterae, quas cum eodem elogio ad Michaelem Cziacchium direxerat, interciderunt. Nunc postquam vera esse perspexi, quae de ea ipsa tabula ferebantur, videor mihi longe majore desiderio duci memorati elogii cognoscendi. Quapropter oro te etiam atque etiam, mi Valentine, velis non gravate hoc officiolo curare de amicitia inter nos concilianda, totum id ad me describendo, quod isthaec ipsa tabula retulit ad nos ab inferis. Quod vicissim nos quoque ea studebimus tibi gratitudine reponere, qua maxime solemus contendere ne inhumani habeamur. Veniet autem hoc ad me, quicquid erit, non aliter — mihi crede — quam res quaedam pretiosissima, et aestimatione singulari, mihique habebitur peculiare et immortale tuae erga me primae voluntatis atque officii monimentum. Vale. Kal. Februarii 1549. Albae Giulae.

CXXXIV.

Scroferus Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Scrofero salutem.

Quod hactenus ad te nihil dederim litterarum, 1549. febr. 8. nihil pecuniarum miserim, fecit longior mea apud Polonorum regem commoratio. Nam totum id tempus exegi penes eum, publico muneri intentus, diesque sane hodiernus vix est adventus mei in Transsylvaniam XX. Quare peto te summo studio, ne velis hac mea mora atque silentio perturbari, neu quid indigne de amicitia mutua statuere, aut sinistre etiam cogitare. Omnino etenim fui juris alieni, meque et labores multi et curae gravissimae distractum habuere. At postquam domum veni, enitar omni studio, ut brevi, quemadmodum par est, satisfaciam exspectationi tuae, meoque me absolvam debito. Etenim mittam pecuniae tantam summam, quanta et tibi pro tuis meritis, et pueri usibus erit necessaria, idque in manus tuas, ne quod tibi negotium a pueri procuratore obtingat in quem te intra hoc tempus de tuo aliquid exposuisse minime dubitem. Martino Trainero jurisconsulto excellentissimo scribendi nunc non fuit otium. Igitur excuses me apud eum, et commendes quam diligentissime. Tu vero, ut coepisti, ames, pueroque erudiendo non desis, oro. Nihil operae, nihil officii, nihil amicitiae collaturus in ingratos. Vale. VIII. Februarii 1549. Ex Transsylvania Albae Giulae.

CXXXV.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri suo salutem.

1549. apr. 20. Scito me, frater, de salute tua, statuque totius domus plurimum esse sollicitum. Et quamvis ipse salvus sim, meque omnino commode habeam, interim tamen quod de te nihil intelligam, postquam sumus sejuncti, laetari ac sedato animo esse minime possum, praesertim quum recorder, quo te pacto domi dimiserim. Cura igitur, mi frater, ut sciam quamprimum, quid tecum, quid cum tota domo agatur, maximeque, an vivat, an valeat ex sententia pater, si vis me altera liberatum sollicitudine, postquam ab altera, auspice Christo, ita jam assertus esse incipio, ut vere serioque tu gaudere possis. Porro quod ad id attinet, tranquillantur jam belle procellae nostrae et fortunae mitescunt jacula, brevique ad te eas a nobis litteras pollicemur, quibus in perpetuum abolebuntur proximi moerores tui.

Puerorum alterum, Joannem scilicet, dimisi Viennae discendi gratia, apud Joannem Scroferum, qui praeest collegio provincialium. Hieronymum addixi regulo nostro, quem sic et illi et matri ejus acceptum esse scias, ut ne parentibus magis. Puer est omnino non ineptus, studet cultui, amat munditiem, mores habet non agrestes, adeoque scite, decenter, gra-

viter ac mature quodammodo agit omnia, ut in aula decennium exegisse, in eaque natus esse videatur. Regulus eum ab se vel horam abesse non sustinet. Mater uni illi, ac nepoti Ligenzae, quibus par aetas est, peculiarem fecit cubiculi sui omni tempore potestatem, quod caeteris eorum aequalibus, quibus filii stipatur pueritia, cunctis prohibetur.

In nostro praeter haec, elucet grata in omnes veneratio, et verecundia non servilis, neque timida, maximeque ad omne ministerium sine dedignatione ingens atque celerrima commendatur promptitudo. Dici non potest, quantum publico judicio motus, ipse quoque delecter ejus profectu atque indole, praesertim quod et mihi non invitus obtemperat, et spem videtur facere non obscuram, futurum haud dubie, quem vellemus ambo.

De Joanne idem sperandum duco, quod ingenium et docilitatem ejus longa nuper epistola extulit apud me praeceptor.

Tu haec exponas parentibus, meque, partus hos eis aureos aliquando futuros dices, non desperare, si modo mihi paruerint, et non destiterint ab inceptis. Ne autem desistendi ansam arripiant, uterque sane me alterum patrem habebit, sicut jam hactenus fratrem plus quam fratrem experti sunt.

Eram Hieronymum quoque litteris hic imbuendum traditurus, ne tam infans et ignarus rerum in publicum prodiisset, sed postquam vidi tam insignem pueri vocationem, quae certe paucis solet talis evenire, nolui fortunam illius detinere, quum alioqui neque refragari principibus licuisset; eoque ipso die, quo primum per filium, deinde per matrem postulatus est, parui voto principum, puerumque dedi in eorum

potestatem. Sed ea etiam causa magis id impigre, quod eadem dies sacra habebatur apostolo Matthiae, unde et omen sortis tanti apostoli non est visum sine superstitione praetermittendum. Faxit jam Deus, ut hoc tam laetum ejus principium faustum finem consequatur, nostraque domus aliquando olim plurium etiam lumine illustretur. Vale. 20. Aprilis 1549. Albae.

CXXXVI.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

1549. maj. 25. Quid his diebus agatur apud nos, ex his cognosces litteris. Andreas Zebridovius episcopus jam Cujaviensis, qui olim quum mecum apud regem Romanorum legatione fungebatur, Cemenecensis erat, agit apud nos oratorem CC. ferme comitatus equitibus. Multam tui atque honorificam quotidie facit mentionem, jussitque, ut salutem tibi ejus nomine quam peramanter significarem. Causa ipsius adventus haec est. Erat regina prorsus ex hoc regno discessura, rebus quibusdam, vel — ut querebatur — aerumnis atque incommodis maximis mota. Nosti enim gentis hujus mores, nosti et reginae ingenium, jamque anno proximo commeatum etiam publice a regno petierat in comitiis, videbaturque sine magna controversia licere illi per Utissenium ac regni nobilitatem, reliquarumque duarum nationum id consequi, sed Petrovius, frenum hic quorundam non exile, interdixit per oratorem herculeo conatu, auctaque ex hoc vetus inter

eum et Utissenium inimicitia, in grave periculum tota respublica veniebat propter vicinitatem Turcae a quibus sic afferebatur, abeunte regina ex Transsylvania fore, ut mox filium Joannis ad sese transferant, nec ultra horum duorum intemperies ac dominatus in hoc regno passuros. Ad ammovendum itaque hoc excidium, Utissenii et Petrovii pace visum est opus esse, sed ad eam conficiendam, quia vetera et toties jam pridem iterata inter utrumque odia obstabant, neque aderat vir tanti nominis ullus, cui ambo laudis id de se concessisse voluissent, regis Poloniae authoritas interposita est. Quare missus his de rebus Zebridovius noster, sic gessit se in hac provincia, vel mole potius tanti negotii, ut reductis in mutuam gratiam iis dynastis nostris, regina quoque a discessu revocata, eique et majestatis et authoritatis omnia, quae detracta esse videbantur, restituta, non sine laude reversus est in patriam. Quamquam verear plurimum, ne laudis hujus ampullas — mirifice enim adhuc hic jam tumescebat gloriola, citius abjiciat, quam Poloniae fines attingat; quippe, quod multa illi gratia regis ejus concessa, et in omnibus sic assensum, ut auspicia ejus ad coelum prope extollerentur. Si tamen quaeris, quid rei tandem? Ficte omnia, et in pristina jurgia, confusionemque brevi relapsura. Emerget tamen et superabit regina. Sic Turca jubet, ipsaque jam regina fortius ad dominandum accingitur, post tot experimenta incommodorum.

De Turcis, qui fines tuentur versus Austriam et Transsylvaniam, nihil est, quod scribatur, praeterquam summum eorum silentium, tolerantiam, quietem, et in christianam plebem indulgentiam, propter cae-

saris absentiam de cujus rerum in Persia, nihil adhuc felicium successuum affertur, tametsi solita astutia indies nos felicissime alant, forsan, ne in alia consilia recidamus. Caeterum interim, ne omnino alia etiam in regni parte munitiones illis desint ad reditum caesaris, absoluto jam fortissimo opere Zegedini excitato, Zolnochio etiam jugum imponunt. Nam ibi etiam in vetere illo castrorum vallo, quod Tibisco alluitur, non dissimile opus coeperunt hoc biennio exstruere. Tu, cui totius illius fluvii decursus notissimus est, considerabis facile, quam erit interclusa Transsylvania, et Zamosi amnis accolae adusque Maromarusii regionem his duobus propugnaculis. Vale. XXVII. Maji 1549. Albae Giulae.

CXXXVII.

Utissenicsnek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Utissenio salutem.

Ego vero jam ex maxima spe rerum mearum,1549. maj. 27. quam in te contra omnium opinionem et consilium reposueram, nunc demum veni in desperationem, postquam tantum ruborem a me exigi video, cui non eram assuetus, nec facinore aliquo, crimineveque, sive in rempublicam, sive in majestatem commisso, unquam fui obnoxius. Quare si tangit te quaepiam pietas, et cura fortunae meae infelicissimae, tempus est, ut prostrato mihi, afflictoque meo spiritui velis succurrere. Sin vero prorsus obduruisti, et in meum casum revera talis es, qualem*) et videri velis, et expertus sum hucusque semper, summum afferes beneficium afflictis rebus meis, uterisque munificentia singulari, si spes meas irritas mihi fore indicabis. Non alioqui cessabo unquam a quaerendis occasionibus, quibus etiam apud alium dominum, quicunque ille fuerit, in cujus tandem portum, quod non sperassem, instans tempestas me deportabit, fidem facere possim, quod ingenue, affectuque minime simulato, fores Utissenii pulsarim. Vale. XXVII. Maji 1549. Albae.

*) Igy ; de Verancsics kétségkivül ezt akarta irni : ‚qualis et videri velis, et qualem te' sat. E helytt is megjegyzem , hogy effélék nagy számmal fordulnak elő nála , s valamint currente calamo tétettek , ugy currente calamo ki is igazíthattak volna megannyian , ha legalább némelyeknek megtartását az irói ‚typus' megőrzésére, nem látom szükségesnek ; noha máskülönben semmiféle cultussal sem viseltetem a tollhibák megörökitése iránt.

CXXXVIII.

Vegyedi Imrének Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Emerico Vegiedio S.

1549. jun. 18. Augustini, et Ambrosii, et Joannis oris aurei lectione, neminem puto adeo esse mente depravata, adeo dejecto ingenio comparatum, qui aut nolit, aut non possit in evangelica veritate confirmari, et in his conquiescere, quae ad salutem faciant animae christianae. Quare non possum non laudare, tametsi ex parte, quae de missa — ut nunc dicimus — collecta ex catholicorum scriptis ad me transmisisti; quandoquidem quod evidenter constat, dubitandum non est, vitam nos non habituros aeternam — utcunque mundus pro sapientia carnis, quae apud Deum stultitia est, discrucietur, et secum ipse colluctetur, — nisi manducaverimus carnem filii hominis, et biberimus sanguinem.

Verum illud, quod ad usum spectat, est, de quo cognoscatur, et quidem non parum. Sicut enim mox — ut ad me scribis — a CCXCVIII post Christum et Apostolos anno senserant verum usum veteres nostri intorqueri, et contradixere in conciliis: si et moderni nunc de hoc contendunt, eosdemque aculeos pro vero instituto Christi, et pro integritate sacramenti coenae Domini movent atque intendunt in corruptores verbi Dei, quid, quaeso, fit aliud, quam quod

ab humanis traditis ad divina revocamur instituta, idque ea potissimum de causa, ne perpetuo humanis opinionibus conflictentur Christiani, uti jam a praememorato annorum numero non sine magno animarum detrimento soliti sunt conflictari, et in varias scindi factiones? Porro si bene perspicis, quanta vanitate laborent humana ingenia, vel ipso teste sapientissimo Salomone, quae Joannis quoque sententia, ut in prima Canonica II. capite concupiscentiam dicit esse carnis, oculorum et vitae superbiam; quicquid in mundo esset, quis non videt affectibus duci, vel trahi potius in his omnibus, quae sub coelo agant, dum alii aliis nihil concedunt, et novis inventis exultant, astipulante huc etiam rege Davide, qui quosdam magna cum displicentia Dei querebatur abiisse in adinventiones suas, et transisse in affectus cordis?

Sed ne cum periculo laedendae magis, quam promovendae divinae veritatis aliquid eloquar, quod posset scandalum afferre proximo, utpote homo, isque — ut verum fatear — non adeo sacrarum litterarum peritus, quippe qui adhuc doceri debeam a doctioribus me: non contendam de his, quae nonnullos etiam ad insaniam prope impellerunt, praesertim qui praeter Christum sapere voluerunt.

Conquiescamus igitur, Emerice mi, in Jesu nostro, et litem hanc dirimendam Deo et sanctioribus nobis duobus permittamus, orantes ejus majestatem, ut velit iis mentem ac spiritum suum infundere, per quos in terris ordinatione divina caro gubernatur, nosque qui homines sumus, ita in sui amorem et cognoscendi studium accendat, ut jam tandem aliquando incipiamus nobis ipsis displicere, et abominari ea, quae ex temeritate et inflata scientia nostra divinis

admiscuerimus. Quod quidem si vel hoc saltem ultimae aetatis saeculo, quod manifeste jam ad consummationem festinat, fecerimus, proculdubio minus de tam certa fide disputabimus, finemque ponemus controversiis, quae neque ethnicos ipsos unquam sollicitavere, nos Christianos funditus etiam everterunt. Vale. XVIII. Junii 1549. Albae.

CXXXIX.

Süveg Györgynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Georgio Sivego S.

1549. jul. 11. Animum tuum, in Austriam proficiscendi et apud regem Ferdinandum ferentarium equitem agendi ex tuo fratre Joanne intellexi. Quod quum fuissem magnopere admiratus, tum sine magno dolore non indignari etiam tibi, fiducia veteris jam necessitudinis nostrae non potui, quod id voluntatis concepisses. Quare quum id forsan rei nondum apud te decrevisti, et alioqui ipse etiam rationibus ejusmodi non careas, quibus te conari vellem, ut ab isto animo revocarem: omittam verba impotentia, atque illud solum peto, considerare ut velis, quo statu, qua disciplina hucusque creveris, quae studia colueris, quam existimationem tui excitaris; deinde quam absurdum erit, hominem diu jam litteris mancipatum, arma prorsus ignorasse, nunquam sanguinem vidisse, uno cogitationis impulsu hastam pro calamo, pro libris clypeum, gladium pro lucerna arripere, et repente e scholis ad bella prodire, quae quidem scribere tibi quam gerere,

felicius existimarem. Id autem instituti ac vitae genus si forte placuerat, a primis sane annis tyronem atque armigerum apud aliquem centurionem sive chiliarchum agere oportebat, et sic per omnes gradus militiae reliquas aetates deduxisse: equidem te inter martiales viros loco aliquo sperassem esse potuisse. Nunc, mi Georgi, non aestibus, non algoribus, non mille castrensibus incommodis durato corpore, non assuefacta ferro dextera, non ad caedem inbuto animo, nec ad bellicos ausus instructo pectore, caeterum si et Musas et Martem hiisdem in castris aeque colueris, (nec enim assuetus homo litteris potest hiis, quovis in statu constitutus carere facile) plane non video, quam feliciter versabere inter milites nostri saeculi, qui nihil minus amant quam litteras, nihil irrideant magis, quam quos ‚deakos' appellamus, si in commilitio habuerint.

Sed haec fortasse poteris infirmare melioribus argumentis, allegabisque, divum Julium, Claudium caesarem, Marcum Aurelium, Alexandrum Magnum, et iis seniores: Catonem, Syllam, Scipionem, Themistoclem et sexcentos alios; concedo, et id quidem florentissima illa tempestate; sed tecum non disputo, hortor tantummodo pro officio amici, ut expendas, quam valde res vestra omnium familiaris, amisso optimo patre declinarit, sitque brevi post divisionem inter tot fratres magis etiam declinatura. Cui quidem rei nec militia multum afferre poteris, cujus sine usu jam in virum evasisti; nec rudimenta militaria facientibus ampla penduntur stipendia, quod hac praesertim temporum conditione nemo militarium hominum satis hiis ditari potest, nisi qui prius fuerit dives, aut rapinis largiore conscientia indulserit. Quorum alte-

rum in fortunis vestris non video, nec alterum vobis, propter tuendam morum et conditionis honestatem licet exercere. Tempus tantum amittes, studia meliora pervertes, et demum, quum aetatem frustra exegeris, veras artes ad parandas opes et honores innocentes acquirendos non didiceris, deperdita etiam opinione, qua domi es, boni et frugi civis, nequicquam juventutem accusabis aut errorem deflebis.

Pericula nolo attingere, ne his aliquid cum dedecore nostro tribuamus, (moriendum est enim omnibus, et quilibet unus sat uni est,) verum quum hoc tempore latrocinia grassantur, non geruntur bella, ne de hiis quidem taceamus, a quibus te, mi Georgi, quam longissime esse cupio, quia quam maxime amo et honoratum velim.

Statum igitur, quem suadeo, intelliges a Joanne fratre tuo, quocum eo de multa contuli. Hunc tibi e re eque decore futurum haud dubie polliceor, si accesseris ad meam sententiam. Accedas autem confidenter, habiturus me et fratrem et amicum in omnibus rebus tuis, maxime vero in his, quibus te exornare et augere potero. Vale. XI. Julii 1549. Albae Giulae.

CXL.

Pomarius Keresztélynek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Christano Pomario salutem.

Respondere hactenus litteris tuis non potui, pri- 1549. jul. 15. mum propter sollicitudinem cujusdam domus, praesenti fortunae meae instaurandae habitaculum, *) quae adhuc cogitur agere inquilinam; deinde quod ad amicos tui similes non libenter scribo quasi in cursu, quicquid in buccam venerit, tametsi et hoc ipsum quum facimus, magis interdum ex amicitia facere judicamur. Itaque boni consulas, velim, quicquid est hoc in parte dilatum officii mei. Amo enim te, amore, mihi crede, singulari, et virtutes tuas (quod merentur quidem) magnifacio, nec oblivisci possum tui, esto quod etiam diutius tacuissem, quam proximis annis IIII. Sed tandem ut respondeam. Omitto primam partem epistolae tuae, qua videris mihi longe majora tribuere, quae scilicet in claritudine virorum numerantur, quam quae pellicula nostra aut ambire aut capere possit. Secundam etiam paucis attigi, (ut hic legis) ne singulis epistolis mutuum amorem efferendo, verba potius verbis videamur pensare, quam rem ipso usu praestare incipiamus.

Porro, satis existimo usuram intermissae consuetudinis tam diuturnam proximis utriusque litteris sartam esse, quibus ambo et laudes mutuo diligenter

*) Ezen szó itt, ugy látszik, felesleges, Katona legalább, mint ilyest, kihagyta.

absolvimus, et officiorum reparationem, usumque amicitiae magnifice obtulimus; jamque huc delabi saepius vix nos arbitror posse sine aulicae assentationis nubecula aut scholasticae tenuitatis naevo, qui perpetuo si epistolam scribunt, in officiorum et amicitiae commemoratione soleant immorari, tanquam qui adhuc in cortice nant; si vero versus faciunt, nisi Parnasso, Helicone, Musis, Minerva atque Apolline eos stiparint atque infarserint, parum se poetice scripsisse arbitrantur. Nos jam sepositis his, velut parergis amicitiae, usum illius verum capessamus et fruamur fructibus, ad quos legendos ita dudum sumus mutuis stimulis propensissimae voluntatis ambo excitati, ut neuter magis incitari atque accendi possit.

Proinde ubi ea in te non agnoscis, quae tibi a me in describendo Transsylvaniae situ tribuuntur, teque non conferendum cum Honthero, cui late non solum domi jam, sed etiam foris, atque adeo in celeberrima Venetorum urbe multum fuisse tributum scribis, probe et prudenter facis, qui et pudore honestissimo impudentiam declinas, et Hontherum extollendo, non inferior Honthero haberi possis, fateorque equidem non invitus, merito fuisse Honthero omnia summa attributa, quo et Transsylvania nominatior, et civitas Coronensis facta sit celebratior. Quicquid tamen illi tributum est, id detractum tibi minime est. Ille enim prior prodiit fato suo, aut, (ut cum Christano christiane loquar) divino potius nutu provectus est in publicum, et quum laterent silentes alii, necessum fuit per ora virum Hontherum volitare.

At nunc eo sublato, cui ego, quantum est in meo judicio, tanti viri dedicem successionem, ad eamque consequendam calculum meum afferam, te inter pau-

eos unum video. Et certe, si multorum voces exaudies, et studia, quae in te expenduntur, complecteris, agnosces vocationem et prodibis, neque tibi erit dubitandum, quin ejusmodi actionibus patriae gloriam atque splendorem sis aucturus, cujus radices uni Honthero, tibi, Hercle, et te qui sequentur, fructus debebunt.

Quare si Brennerus, vir apprime eruditus et in litteris haud infelicis judicii, divulgarit studiorum tuorum lucernam, et nomen tuum in lucem arcessit, hoc ipsum sane perspicit agitque, quod et ego. Et quoniam ille diu jam hominem novit, quantumque idem ex sese praestare possit artium bonarum studiosis, expertus est, (nam vestra incunabula eadem civitas extulit) opinor eum minime falli. Sed esto fallamur ambo, fallaris et tu nostra causa. Pulchrum tamen erit, et te amicorum gratia aliquid praestitisse tua non sine laude, et nos amico omni cura atque ratione adesse dignissimum, (quod ex me ipse vel ex nunc ingenue polliceor) ut nec operi tanto succumbas, nec nostrae ac multorum exspectationi non possis satisfacere.

Aude igitur, mi Christane, et jam aggredere rem felicibus auspiciis. Ego quicquid operae atque laboris in tam nobilissimae, pulcherrimae et foecundissimae provinciae descriptione, mea, ut polliceris, gratia, meoque nomine contuleris, quamplurimum tibi debere non dubitabo, postquam sic animum induxisti, ut me prae multis habeas apud te charissimum. Fac igitur, ut opus in suas formas atque tabellas effigias redigasque; et me tecum communicaturum, quicquid est in praesentia fortunarum prae manibus, non diffidas, quum alioqui brevi etiam reliquo statui meo ul-

terius provisum iri non desperem. Vera scribo, nisi me unus fallat.

Sed interim volo te commonitum, ut tabellam Hontheri, Basileae impressam, cui tantum Saxonum sedes, idque tumultuarie visus est voluisse includere, non imiteris omni ex parte, nam informe nonnihil opus est, dum praeter veram ejus provinciae speciem quadratam fecit, et fluvios sine debitis suis recessibus in rectum direxit. Tu, explorata ipsius terrae longitudine, angulis etiam, quibus aut huc aut illuc recedit et lateribus excurrit, diligenter observatis, non in partes plures, sed in unam integram tabulam, apparenter tamen praecipuarum civitatum cum suis agris, montibus, pagis atque fluminibus collocatis referas. Sic enim opus erit dignius, quando sub uno obtutu totum existet, et suo quaelibet colore civitas distincta significabitur. Quod si in partes digesseris, hoc est, in plures tabulas, minus delectabit, et earum connexio propter vicinarum provinciarum terminos, qui hujusmodi tabellis circumaddi solent, afferent non parum difficultatis, ut videmus in Ptolemaeo. Sed haec ut authori libuerit. Nobis certe et utroque et alterutro modo non displicebit, tantum impetremus.

Isti autem lucubrationi tuae, si libuerit, adjicietur mea Transsylvaniae, Moldaviae et Transalpinae magna jam ex parte exarata descriptio. Jungentur etiam elogia diversarum inscriptionum Romanarum, quae olim in Transsylvania diligenti quorumdam cura, postremo vero mea diligentiore collecta sunt ferme ducenta, cum picturis quorumdam sacrificiorum, simulacrorumque ex lapideis tabulis decerptis. Quae cuncta ubi erunt una, sperabo et nostrae genti et exterarum quam plurimis fore hanc industriam

meam non injucundam, praesertim quod his de regionibus pauca eaque valde strictim veteres attigere, praesens vero aetas ab ingeniis nostratium etiam efflagitare videtur.

In calce epistolae calamitates tuas lamentaris, quae tibi a quibusdam propter evangelium irrogantur. De his hoc solum dixerim : ut glorieris qui dignus factus es pati pro nomine Christi. Neque enim solus is es, patiuntur tecum et alii electi multi, totaque die flagellantur propter veritatem. Deus tamen, qui in suis promissionibus fidelis est, non deseret suos, eosque proculdubio coronabit, qui legitime certaverint. Igitur postquam productus es in stadium, sic curre, ut comprehendas; sic certa, ut bravium consequaris; et nihil timeas eos, qui corpus interficiunt. Haec via ad vitam ducit, mortem non habet. Vale. XV. Julii 1549. Albae.

22*

CXLI.

Bussaeusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Bussaeo crucem.

1549. jul. 22. Quae mihi proximis litteris tuis de restitutione equi mei rescripsisti, non admodum videntur convenire cum amicitia nostra, neque pacto respondere, quo eundem apud te curandum reliqueram; eaque te, si recte loqui velim, magnopere arguunt ingratitudinis atque ignorantiae, multum etiam mendacem, levem atque argutum rusticum declarant, quem quidem vel sub disciplina atque institutione mea, apud quem adolescentiam laudabilius exegisti, quam nunc domi virum agas, exuere debuisses, si parentis tui, optimi et modestissimi viri, mihique amicissimi mores atque ingenium tenere noluisses. Haec tibi dura erunt, scio, et vellem, medius fidius, esse etiam durissima, ut prae dolore injuriae rumpereris. Homo me in humanis nullus adhuc affecit tanta indignitate atque fraude, quanta tu, cujus verbo nisi fidem habuissem, fallacia deceptus non fuissem. Verumtamen quum viro bono et sapienti ira est ratione cohibenda, ne in furorem erumpat, sat haec erunt improbo respondisse; graviora postea toleraturus, etiam si nolis, ut de vi ac fuste taceatur, nisi mea mihi pro aequitate, quae initio inter nos de re praesenti convenerat, intra X. diem restitueris, perpetuoque imposterum, impure juvenis, et

amare me et lacessere desieris, quem quidem certe loco parentis et amici commodissimi habere colereque summa cura studioque filiali debueras. Vale, sed ut quem dudum periisse voluissem. XXII. Julii 1549. Albae.

CXLII.

Nádasdy Tamásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Thomae Nadasdino salutem.

Ego non essem Petri Berislavi nec Joannis 1549. jul. 23. Statilii nepos, immo ne vir quidem bonus, quem profiteor omni conatu, si quod mihi tecum rerum est, non meminissem, neque perficiendum curarem. Igitur ea omnia sic ex me adhuc speres atque exspectes, uti digrediens a te, feceram fidem. Reliqua magis perspicue atque ea quidem omnia, quae huc facere videbuntur, is Gaspar Pesthinus, homo integer, mihi amicus, tui observantissimus, coram, meo nomine apud te exequetur. Ad id nunc solum addo, ne quicquam aliud ex hac mora deliberationis meae suspiceris, quam retinacula quaedam esse, quae nec pro voto quicquam pollicentur, nec resecari tam subito et sine difficultate queunt. Eis tamen me celerius fortasse in omnem eventum absolvam, quam haec ad te perferetur epistola. Si interim iis hic prorsus excidero, in tua gratia servari mirifice cupio. Vale. XXIII. Julii 1549. Albae Giulae.

CXLIII.

Bonar Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Bonaro.

1549 jul. 31. Jam diu quidem est, quod in publicis rebus de mea ad vos missione agit senatus noster, idque quoniam brevi confectum iri non diffidam (quum adhuc hic multae res perficiendae sunt, et quidem difficiliores, quam hae, de quarum larvis atque imaginibus tantum Cujaviensis vester triumphavit, quaeque vel ipsi Nestori Pylio aut Romano Catoni facerent negotium) peto te, ne velis indignari, si paulo tardius satisfacio fidei meae apud te repositae, et tuam libero, quam pro me alteri commodasti. Tunc, auspice Christo, et hoc, et eo pusillo aere, quod pro locata mihi Morstini domo, interposito verbo patris tui, debeo vestro Bero, exsolvam me.

Id autem morae, quod committo, non imputes velim incuriae, sive fortunae meae minus felici, sed consilio et imputes et concedas; quippe quod hac tempestate, manibus alienis periculose quantalibet pecunia credatur, maxime autem ubi longiora illi locorum spatia sunt transmittenda; ne interim meminerim Germani exercitus, qui Cassoviensem viam interceptam tenet. Ignosce itaque mihi, mi Joannes, et patere, quaeso, certa me fiducia, qua hactenus etiam semper sum usus, omnia mihi de facilitate atque amicitia tua secure polliceri. Dubium mihi nullum est,

quod jam vel hoc tempore pervenerim ad infortuniorum meorum exitum, quibus jam ita est manus apposita, ut in portum me evasurum non desperem. Neque enim quos laedit fortuna, perpetuo premit, et redeunt terris post nubila soles. Vale. Ultima Julii 1549. Albae.

CXLIV.

Bonar Jánosnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Joanni Bonaro S.

Patrem tuum optimum et clarissimum virum (1549. aug. 14.) e vivis excessisse, nunc primum sane ad me perlatum intellexi, plurimumque displicet, quod tam sero. Videbor enim in hoc officio declarandi doloris mei apud vos negligentior quodammodo, quam sit par, exstitisse. Quem quidem dolorem etsi mihi non parem, neque tantum usurpem, quantus est filiorum, tamen in deflendo homine mihi benevolentissimo et prope altero parente nulli amicorum ejus concessero. Verum de obitu ejus, qui omnium bonorum summorumque hominum testimonio, dignissimus erat, ut immortalis in humanis permansisset, nolo doloris hujus magnitudinem pluribus verbis demonstrare, ne tuo apponere incrementa, tibique tam grave vulnus, quamvis justa ac debita observantiae meae in eum commemoratione acerbius facerem et quasi renovarem. Contentus itaque propria conscientia, qua scio, te nihil dubitare de mea erga domum Bonariam voluntate, quodque non solum consolari te et revocare a luctu vellem, sed etiam quod cupiam, ut et tu

et tui omnes tanta felicitate tamque continenti ac diutino rerum successu frueremini, ut nunquam alterius fortunae vultus videretis, nunquam alterius a laetitia status vices sentiretis, viveretis alioqui ultra quam cuipiam hominum etiam beatissimorum natura concesserit. Atqui quoniam genus humanum non est conditione tam praeclara, et laetis tristibusque, uti aut haec aut illa obvenerint, pro divinae providentiae et sapientiae ordinatione utendum est, donec in patriam ex hac peregrinatione evadamus: oro te, feras aequius charissimi parentis casum, eaque re potissimum consoleris, quod quum ille mortalis fuerit natus, immortalem gloriam suis, sibi nomen atque memoriam compararit, quodque in terris ita vixerit, ut in coelis Deo quoque gratissimum civem esse vel ex eo dubitare non debemus, quod multos in multis regnis conturbari obitu ejus ob raras virtutes ac dotes, quibus in extremi etiam orbis partibus celeberrime noscebatur, facile mihi persuadeo. Igitur quiescat in pace sanctissima ejus anima, et fruatur Christo suo, quem hic adhuc ita induerat, ut nondum carnis velamento deposito in coelestibus versaretur. Tibi ac tuis fratribus, ut generis facultatumque, quas vobis major quam privatus reliquit, illius sitis successores, ita et virtutum et nominis et gloriae felicitatumque omnium, quae illi maxime non defuerunt, firmam atque diutinam precor haereditatem. Stanislavis duobus, alteri Lasco amplissimo Syradiensi palatino, alteri Bonaro nobilissimo juveni et Anselmo Ephorino cupio maxime commendari; quod munus ne praetereas, tametsi gravissimo luctu occupatus, etiam atque etiam rogo. Vale. XIIII. Augusti 1549. Albae.

CXLV.

Colleciusnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Collecio.

1519. aug. 14.

Ut secundae atque adversae res inter homines, omnium sunt pro fatorum nutu promiscuae, ita beneficentia, mihi crede, rara est et paucorum. Si ego itaque tibi, compressis velis, abditus esse videor, dum procul a frequentia mecum habitem : equidem mea, qualiscunque ea est, aequo animo utar fortuna. Tua tu ad luxum, ad libidines et perniciem patriae abuteris, virtutum et humanitatis indigus, pietatis etiam inimicus; facileque, si dea morem atque ingenium non mutavit, poteris adhuc, quam mea est, paulo post esse deteriore. Nemini enim adversa procul est, et fugientibus semper in tergo adest. Verum enimvero quoniam fortunae bonis insolescis, oblitus tui, postquam non es is, qui deberes esse, volutare ut velis, ac ventrem, tui nobiliorem partem pascito, a nobis abstineto, etiam si insanus es. Manet enim istam vitam non dissimilis exitus. Vale ut ipse volo. XIIII. Augusti 1549. Albae.

CXLVI.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

1549. oct. 18. Eo ferunt interdum artificio fortunam esse, ut ubi multiplicibus atque diuturnis adversis hominem assuefecerit, huic malorum quoque timorem adimat, quo ferire licentius possit, quum voluerit, egregieque demum faciat infelicem. Mea id mecum an velit agere, quum huc illuc tam diu impellat, nondum plane intelligo, quod adhuc non ita me rebus omnibus fiduciaque resurgendi spoliavit, ut jam et rationis et consiliorum et amicorum adminicula consumpsissem, erraremque fortuito.

Verum ut illa velit, adversetur et exerceat ingenium viresque in malis meis, nec desinat etiam ferrariam cum Volcano tractare et in me fulmina cudere, postquam tot artibus dicitur instructa esse ad perniciem hominum. Certum enim est in coelo apud pios non esse locum tam inconstanti et temerariae deae, eamque in terris dumtaxat avarorum, rapacium, crudelium, vilium, sordidorum et imperitorum hominum haberi numen.

Ego jacta in Deum cura rerum mearum, consilioque capto cum amicis, diutius per Heremitam ludificari, quoniam turpe erat, minime volui. Cognito siquidem, quod incassum ab eo exspectarem, quae nosti, — nec enim fuit hoc difficile intra quinquennium — quo me

hac spe circumduxit, maximo juramento vel ab initio de restitutione facto, si, recuperata valetudine, eodem revertissem; quaeso, quid fecissem amplius? An mihi abjiciendi anni supererant? an aetas reviresceret? an postremo prudentis esset, spem prosequi omni vento leviorem? credereque homini, qui nugatur, ut de te risum, ut de morione quopiam vulget?

Porro, quum bis eodem rediissem, magna et fide et studio permanendi, gratissimusque exstitissem tum reginae et filio, tum optimatibus et nobilitati toti, immo et regno universo, cui jam a XXV. anno, avunculorum nostrorum Berislavi et Statilii insistens vestigiis, honestissime servitutem impendo, soli Eremitae visus sum gravis et injucundus hospes, quod ea re carere non poterat, qua mihi ejus opera et beneficio erat resurgendum, et — ut amici, qui rem altius cognoverant, referebant — ingenium etiam meum reformidabat, quod in suis praxibus, quibus ad Transsylvanicum apicem conscenderat, saepissime non sine quorumdam bonorum voluntate, (quod tu bene nosti) in consilio et in comitiis adversarium habuerat publici commodi gratia. Praevidebam enim cum quibusdam, quod regnum libertate, reginam authoritate esset privaturus, opressurusque etiam multorum rationes, quorum virtute et successibus offendebatur.

Ideo, uti est instituti mei, partim pro fide, quam aequam omnibus velim, quibus habeo obnoxiam, partim pro ingenio, quod ad tuendam veritatem mihi est comparatum, facile vel ab uno — caeterorum pace dico — liberius ferebatur de veritate sententia, neque connivebam in detrimentum principis, quod commodo ejus dicendum erat, ut ii, qui hamos aureos late jam multi devorabant. Et in hoc fortasse possum

jam secure jactari, praesertim apud te, frater, si consideremus, quinam et quot eramus hujusce studii, quum haec momenta in ea republica agitabantur, et jam alii pene omnes largitioni serviebant.

Verum ne nunc historiam texere videar, de qua alio loci meminerimus, agnosce hic diligenter Comici sententiam: Obsequium amicos, veritas odium parit. Cujus quidem partes etsi natura ipsa fecit sibi contrarias, nec Poeta conjunxit, ille tamen ut veritatis causa prosequebatur me odio, ita et ex obsequiis habebat suspectum, videbaturque et officiis et demissione pudefieri, nonnunquam etiam commoveri secum, quum ad pietatem ultionis amore adduci nequiret.

Postquam itaque tam diu frustra, quod ajunt, sacrificassem illi, videremque nihil ei me gratius facturum, quam si abirem, ne toties hoc vulnere, quo me confecerat, erubesceret, quoties tam dejectum, obsequiosumque versari coram se, mirantibus multis et duritiem ejus tacite increpantibus, cerneret: accepto commeatu primum a regina, a filio, a Petrovio, et postremo ab ipso Heremita *), edictoque illis palam, cur id facerem et quonam essem migraturus, ne quid calumniarum paulo post injiceretur, discessi ab eorum factione, et in partes transeo regis Ferdinandi; sic enim consultius visum est vel ex ipso debito, ne si unius hominis commercium et coloratas calumnias deserendo, cujus causa jacebam, totum genus desererem. Quod equidem sine flagitio minime facere potuissem, nisi si et majorum nostrorum splendorem, quem in hoc regno adepti sunt, negasse voluissem, et quid eram ipse quoque antequam in Hungariam

---

*) Ennek s Petrovicsnak leveleiket, melyekkel őt utnak eresztették, lásd Verancsics munkáinak jelen kiadásában, I. k. 349—352. ll.

venerim, occultassem. Nam quantus fuerim postea, quod quidem certe soli Hungariae acceptum refero, novere, ut scis, aliquot regna, eoque solo, post divinam opem, et domus nostra lumen accepit et adhuc stat.

Jam quod ultra quaeris aut quereris, frater, si quereris, jacta est alea, et vela ventis dedimus, clavum Deo credidimus. Caeterum, et honestiore, puto, serviemus conditione hic, quum dignitate domini, quod ait Cicero, minus est turpis fortuna servi. Et sane, si quid gravius ac diuturnius erit perferendum, adigarque etiam in aliquem casum, quem Deus avertat, ultimum, equidem malo haec omnia apud Achillem quemdiam, quam apud larvam. Cujus ut non sim victima, quemadmodum fuit Urbanus ille noster Bathianus, sepulcro etiam vindicta ejus eruto, (indignum facinus) a quo uno quum e culina heremitica imperitissimus in aulam prodierat, omnibus his actionibus institutus erat, quibus ii, qui magistratibus praesunt, pollere debent, nullum equidem incommodorum genus devitabo. Stat nempe haec sententia firmiter, in cursu jam est navigatio, et providentiae divinae committo caetera. Tu mecum una speres meliora, et mente conquiescas. Vale. XVIII. Octobris 1549. Cracoviae.

CXLVII.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Michaeli fratri S.

1549. oct. 26.

Dederam ad te proximas litteras, quo de varietate fortunae meae cognosceres, esto quod adhuc dubiae. Ne tamen et reliquos comoediae hujus actus nescias, quos tibi etsi sciam non placituros admodum, legas tamen ut caetera, et humana ducas.

Quum ad Heremitam in Transsylvaniam appulissem, vultu me lepidissimo, summaque cum urbanitate et humanitate excepit, ut solet, quos minus diligit; tractavitque liberali et mira honestate, quod ex usu facit, quum ab homine, quicquid occulti habet, eximere velit, seu in suos usus quempiam pellicere, vel etiam spe et fiducia de se oneratum procul a se summovere. Varadino ejus impensa curaque Colosvarum veni. Inde traha, dextrorsum me sibi collocato, Albam secum deduxit. Nusquam prandium, nusquam coena sine me. Primi mei accubitus. Ad pelvim, ad guttum primus, meoque prius apponere quam suo quadro omnia, et mecum meliores epularum portiones quasque communicare semper. Solus invitabar ad edendum, solus pene in omni verbo occurrebam, et appellationes domini ad coelum usque subvexerant. Speciosane sunt ista? Atqui utinam aeque vera atque amica.

Albam ubi perventum, statim pensionem numariam anni VI. domum ad me per internuncios misit. Adjecit: ut cum parsimonia impenderem. De re, quam volebamus, summum silentium. Promissorum ingentes cumuli. Benevolentiae et patrocinii cuncta oblata. Nihil praeterea.

Quaesivi: quid de statu et officio quopiam, et demum in universum rerum mearum spei attulissent? ubi mansionis locum seu muneris demonstrarent? apud ne reginam? an apud filium? an apud ipsum Eremitam, unum omnium dominum, futurus esset? an etiam privatum velit agere? Nihil de his injunctum, responderunt. Caeterum Emericus Vegiedius, senex ille veterator, et perfidia mystes nunquam vacuus, interloquutus dolose ridens, ut natura solet: Liberum, inquit, agas dominum, commorari ubi libebit, postquam argentum adest.

O hominem impurum, et sceleribus consutum, nobis etiam alias nunquam amicum. Hoc effutito per imprudentiam verbo, ut etiam interdum malesano est capite, sine dubio patefecit, quid occultaret de me Heremita. Cui postea olidus senex, gravissima reprehensione castigatus, dedit infantiae suae poenas. Ego vero redditus sum magis curiosus rerum mearum.

Hic jam superior consuetudo nostra incepit minui. Rarus ejus conviva, rarus hospes, rarus stipator, colloquium nonnisi quum quid rei haberem. Oris tamen venditatio nunquam deerat. Occursus, ut prius, blandi, arridentes, honorifici et ostentatione semper paterni. Quid tum postea? Ad seria nimirum conversus, ut experirer tandem, quid aut certi consequar, aut me ut eximam ei molestiae.

Coepi igitur suggerere inprimis desiderium, quod

scis; postea etiam petitionem intendere, sed modeste, quod sciebam offendi hominem ea cantilena. Offerebam servitutem, offerebam fidem, omnium, quae in me forent, potestatem faciebam, mutuam denique pollicitus pensionem, cujus eram creditor, sed nunquam flexi, nunquam pervici ferreum pectus ad pietatem. Pari tantum conatu et majore astu promisit omnia maxima, idque maxime, quod redditurus nunquam erat. Ita post et sperare et optare desii.

Pro statu dehinc alio et officio quopiam aggressus curam, nihil negavit, saepe diem constituit, saepe ad reditum distulit, et hortatus est ad exspectandum bono animo. Feci ipse omnia optimo. Sed licet Albam saepius redierit, quam etiam diem rei affixerat, ea tamen interim offudit quotidie impedimenta, ut Varadinum abierit, me in pristina exspectatione suspensum Albae reliquerit.

Missi postmodum ad illum nuncii, datae litterae, viae et modi tentati omnes, necquicquam facta omnia et impetratum nihil, praeterquam quod ad id tempus semper verba, promissiones et spes vanae.

Sic viso, quod sese non explicaret et me ductaret fallaciis, brevique ejus imposturas convicia essent sequutura, tanquam nondum intellexissem, quid vellet: abrupi funem ab ejus littore, peregique quod epistola proxima habuisti.

Quoniam autem vana est sine viribus ira, et multa dies ac occasiones componunt, reparantque quod saepe ratio nequit: nullam omnino veri odii, etiam post tot damna, praebui homini causam, atque ita reliqui amicum mihi, ut magis culpae atque fortunae meae succensuerim, quam ejus nequitiae. Simulatione certamus. Et quamvis ego nudo et sim-

plici, ipse versuto, occulto agit ingenio, ex mea tamen partim patientia, partim ex ejus conscientia — forsan aliquando sese recognoscet, — fructum opperibor. De successibus aliis, quum ulterius prodiero, indies postea singula. Interim tu Deum preceris, ut felix faustumque faxit, quicquid peregimus et facturi sumus. Parenti, novercae et cognatae salutem. Vale. XXVI. Octobris 1549. Cracoviae.

CXLVIII.

Tricesius Andrásnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Andreae Tricesio S.

Resolvebam heri chartarum mearum scriniolum, ubi quum incidissem in quosdam meos versiculos ad Faberinum, Magocium et Kessum in Transsylvania factos proximis annis, mox me putavi gratam rem tibi facturum, si eos ad te quamprimum mitterem, ut ad prosaicas nugas meas, quas nuper tanto affectu (et quidem merito, tanto, ut meras nugas) legere videbaris, nunc versuum quoque ineptias, plus quam sane triviales, percurreres et noscere non gravareris, uti eos saepe alias desideraveras. Habes igitur, quod optasti. Verum si redolebunt Minervam minus propitiam referentque horridiorum numinum favores, nec ob id dignos judicabis Tricesianis aedibus, museoque isto tuo prope Apollineo: scito, ex Geticis Dacicisque fontibus prodiisse; quare vatem sic excuses, sic versus ejus admittas, mi Tricesi, ut

1549. oct. 26.

amicitia et humanitas tua utriusque partis suppleat defectus. Eunt enim ad raram limam, nec timebunt lucem, si ejus judice examinabuntur. Vale, ornatissime Tricesi, Polonae juventutis non postremum decus. XXVI. Octobris 1549. Cracoviae.

CXLIX.

Orvosának, Ephorinus Anzelmnek Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Anselmo Ephorino S.

1549. oct. 29.

Mitto tibi aureos numos duos, non quidem satisfacturus merito tuo, sed in mei majoris debiti recordationem, tanquam symbolum quoddam. Quicquid magis desiderabitur, ab amicitia exige. Caeterum si nobis praesens consilium et conatus successerit, redieritque sors, quam iterum jamjam prope a fronte prehensamus, cuncta tibi pendemus pro merito. Nec deerunt exspectati cumuli, muneribus comitati, quibus plane cognosces, ingratitudine apud me nihil esse alienius. Apothecario subducti sunt argentei numi signi vestri XV.; reliquum, ut postulavit, recipiet. Vale. XXVIIII. Octobris 1549. Cracoviae.

CL.

Pesti Gáspárnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Gaspari Pesthino S.

1549. nov. 2.

Praeter omnem opinionem meam exegi proximum mensem Cracoviae; nam fato quodam mox in exitu Varadiensi febris universam familiam meam invaserat, exagitavitque per omne illud iter ita acriter, ut ubique locorum coactus fuerim ipsemet et servi et domini subire munia. Reliquas difficultates non commemoro; sed eo jam ventum videbatur, ut in meo curru personam agerem Automedontis.

Ingressus dein Cracoviam, postero die, ne non de me quoque triumphasse *) diceretur, tamquam parum aliis incommodis laboraremus : restituta caeteris sanitate, postremo in me quoque et in puerum fratrem seriem ignis deduxit. Sed exactis mecum octo congressibus, non omnino lenibus, omnem vim atque ardorem in puerum convertit, ussitque ad hos usque dies pertinacissime. Parcens itaque aetati tenerae, debilitatum corpus ejus veritus sum itineri committere, ne alicubi magis concideret et periclitaretur. Hincque est, quod me tamdiu in his tabernis continui, quamdiu certe animus minime fuerat. Verum fastidio tandem hoc inutile otium, moramque hanc mihi, ni

*) Az eredeti codexből itt egy levél kivágva lévén, Katonából pótlottam a hézagot.

fallor, etiam non honorificam, quod jam fortasse millies ad vos allatum sit, secundas me nuptias affectare; de quibus sane, ut fatear tibi, mi Gaspar, quam verissime, nondum matrem consului. Adde : quum et bigamia sacerdotibus nostri saeculi, legitime nubentibus, si diis ac deabus placet, non conceditur : differo adhuc vel cogitationem ipsam tanti consilii. Et si fortasse spiritus Dei jusserit, obtemperabo, non tamen conjugabor in Polonia, ubi honestius scortatur, quam uxor ducitur. Sed de his satis.

Ego, utcunque agetur cum puero', ingrediar iter Viennam versus hoc triduo; puer autem ipse a teneris incipiat duris assuescere, *) ut si errandum et illi erit aliquando, quod evenit multis minime sperantibus, addiscat meo more ferre fortiter, quicquid adversi ingruerit.

Tu interim pro benevolentia, qua mihi semper, ut frater, adfuisti, commendes me Heremitae tuo, et in memoriam reducas quam saepissime. Fac proinde fidem, quod de honore ejus semper ita cogitabo, ut de me meruerit; delatoribus autem illis clarissimis, qui apud eum honores bonorum corripiunt, oro, suadeas, ne deinceps non dico fidem sed ne aurem ipsam velit adhibere, et prohibeat eorum in me virulentiam. Sit satis inimicis, praesentem oppugnasse, et palmam mendaciorum suorum obtinuisse; absentem non insequantur, pietatisque, si quid humani habent, vel hoc retineant, ut sinant me conflictari cum fortuna mea, cum qua si aliquando rediero in gratiam, poterunt uti adhuc amicitia atque opera mea, quemadmodum utebantur, quando florebamus; sin adhuc urgebit

*) Eddig Katonából.

acrius, hoc saltem efficient, quod non homines malorum meorum incusabo, sed in superos referam, qui cum miseris mitius agunt, et vel sola patientia placari solent.

Et quamvis hoc solamen commune est utriusque fortunae hominibus, nobis tamen, qui in calamitate versamur, etiam necessarium; quo pallio, qui nostro labimur peculiari consilio, multas sane solemus culpas praetexere. Felices, ut libuerit, et plerumque loco ultimo omnium rerum, perinde atque ex usu non ex debito, divinae potentiae recordantur.

Aliud quod nunc scribam, nihil occurrit. Te vehementer oro, ut absenti mihi non desis, nullibi enim magis periclitor, quam apud vos, tametsi sim alio loco. Nosti, quid velim dicere. Porro fortuna mea mecum it, istinc tamen tela timentur, quae ferire possunt. Calumniantur nempe semper innocentes, dum nocere volentes nemini, devitant etiam malos. Vale. 2. Novembris 1549. Cracoviae.

CLI.

Pesti Gáspárnak Verancsics Antal.

Antonius Wrancius Gaspari Pesthino S.

1549. nov. 10. Ut saepius ad te scribam, quod promisi, nova de statibus mihi sane sunt nulla. Vix enim ter intra hoc omne tempus, quod hic exegi, pedem promovi ex hospitio; qua ex re facile cognosces, quanta me voluptate afficiat Cracoviensis genius. Illud tamen tibi non ingratum erit, quod quidem gratissimum esse debebit, non litteratis modo omnibus, verum etiam universae nationi Pannonicae.

Scis, Antonium Bonfinum, Hungaricarum rerum historicum, quinque decades composuisse, editisque in lucem tribus, quarta et quinta, fortasse nondum recognitae, interciderant. Nec dubitandum est, quartam apud aemulam gentem nostrae nationis periisse, quae Mathiae regis clarissimi gesta continebat. Ego certe per hos dies usus consuetudine quorumdam eruditorum hominum, libereque versatus in museis eorum, forte apud Andream Tricesium, juvenem litteratissimum, humanissimum et multis nominibus commendandum, mihi singulari familiaritate conjunctum, incidi postridie quam ad te proxime scripseram, in quinque libros ejusdem Bonfini nostri quintae decadis primos, quibus vir ille, optime de hungarico

nomine meritus, Vladislavi regis historiam describit Mathiae consummata; ibique quintus hic liber desinit, ubi de divortio Beatricis peregerat.

Deus bone, quam dulce, quam gratum, quam exosculandum tibi tuique similibus debet hoc novum existere, praeponique omnibus sane novitatibus, quae mortalium mentes de principum deliramentis exagitare consueverunt.

Sed quanta item jactura affecti sumus, quod reliquum Vladislavi non repererim. Puto tamen non perscripsisse authorem, vel potius ne recognivisse quidem a tertia decade quicquam propter obitum repentinum. Sic enim in liminari epistola scribit:

‚Mirifice igitur cruciatur Antonius, quod est apoplexia tactus, et quod omnes sui sensus et ingenii vires elanguent, servitiique tempora pereunt, et hoc virtutum tuarum spectaculo frui non potest.'

Initium autem epistolae tale est:

‚Pervenimus tandem, princeps serenissime, ad faustissima tempora tua, tanquam ad novissimum finem, calcemque laborum, ubi opus nunc esset ilia ducere, nec in labore succumbere, nec ingenii deficere viribus.'

Vides, mi Gaspar, quam ingens est iste thesaurus, quam mihi etiam post vos omnes charus sit. Nollem excedere credulitatis tuae mensuram temerarie, illud tamen scito: Inventum hoc non esse id, quod in faba pueri inveniunt; mihique ita gratum acceptumque esse, tibi persuadeas, ut anteponam Mydae divitiis.

Si Deus nobis otium fecerit, quam citissime potero, reliquum quoque hoc Bonfini nominis luci polliceor; cui et Broderici olim virtuosorum parentis

adjiciam Mohacium; daboque omnem operam, ut postquam fato quodam Antonii dati sunt, qui Hungarorum gesta litterarum monumentis commendent, quantulacunque valeam eruditione, curem vel voluntati meae maximae sane hac in re satisfaciendum. Quod si exspectationi nequivero, historiaeque magnitudini, cujus ne nomen quidem arrogo : magnam saltem materiam dicar praebuisse doctioribus, eamque tametsi simplicem ac forsan etiam rudem, quod non inficior, uberem tamen et magno mihi labore jam per annos duodeviginti conquisitam assequantur. (?) Vale, viveque quam felicissime. X. Novembris *) 1549. Cracoviae.

---

*) Ha, mint a következő kötetben látni fogjuk, Verancsics november 13-án már Bécsben volt, s ha ide, mint ez nap Bornemisza Gergelyhez adott levelében említi, november 8-án érkezett, jelen levél nem kelhetett november 10-én Krakóban. Gondolom, hogy a közvetlenül előtte állóval azonegy nap irotott, tehát november 2-kán; csak hogy amaz bizodalmas levél volt, emez pedig arra való, hogy köröztessék jó- és roszakarók közt egyiránt. A mi Verancsicsunk a diplomatia szokásait tisztén kivül is szerette hébekorba alkalmazgatni.

TOLDALÉK.

Oklevelek a Verancsicsok történetéhez.

Negyedik közlemény. *)

*) Az I. II. és V. kötet toldalékának folytatása.

LVI.

Reverendissimo in Christo patri, domino Antonio Verancio, electo archiepiscopo ecclesiae metropolitanae Strigoniensis, locique ejusdem et comitatus Honthensis comiti perpetuo, primati Hungariae, sedis apostolicae legato nato et intimo consiliario nostro etc. fideli nobis sincere dilecto, Preszburg. 1570. mart. 21.

Verancsics kezével: Redditae Posonii 27. Martii 1570.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus etc. Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Quae nobis in litteris quarta hujus ad nos datis de rebus Transsylvani indicastis, grata habuimus, agnovimus enim inde vestrum erga nos et patriam benemerendi studium, benigne hortantes, ut deinceps etiam semper idem agere non intermittatis, quaeve scire nostra interesse existimaveritis, de iis nos subinde edoceatis. Id quod ad hanc epistolae vestrae partem, cum ad alia ex consilio Camerae aulicae responsum habeatis, rescribendum mandavimus. Cui bene propensi sumus. Datum in arce nostra regia Praga, die vigesimo primo Martii anno Domini MDLXX., regnorum nostrorum Romani octavo, Hungariae septimo, Bohemiae vigesimo secundo. Maximilianus m. p. G. Teufl (?) m. p. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium H. Fieringer m. p.

Eredeti. 2381. fol. lat. a nemzeti muzeum kéziratai között.

LVII.

1570. apr. 4. Reverendissimo in Christo patri, domino Antonio Verancio, archiepiscopo ecclesiae Strigoniensis, primati Hungariae, legato nato, summo et secretario per Hungariam cancellario et consiliario nostro etc. fideli nobis sincere dilecto. Posonii. Cito, cito, citissime, cito, cito, cito.

Verancsics kezével: Redditae Posonii 12. Aprilis 1570.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc. Reverendissime in Christo pater, nobis sincere dilecte. Ex litteris vestris cognovimus ea, quae de relinquenda penes nepotem vestrum praepositura de Twrocz nobis supplicastis, et intelleximus etiam illa, quae commemoratis de petito a nobis consensu super resignatione vestra, tunc temporis, quando abhinc tertio anno legatus a nobis in Turciam proficisceremini. Quamvis itaque nobis majora curantibus non satis succurrat, quid tunc temporis et quomodo hac in re deliberatum per nos fuerit: sit tamen utut velit. Consensus nostri litteras, nec vivo nec mortuo praedecessore vestro archiepiscopo, in quem culpam rejicitis, a nobis habuistis, quum tamen a tanto tempore illarum nos, vel defuncto illo, admonere et pro eis instare potuissetis. Nunc autem quum vos ad altiora transtulerimus, et per eam translationem is sit rerum et temporis status, ut quemadmodum praepositura illa vestro

praedecessori invito, per divum genitorem nostrum felicis memoriae adempta, et vobis, episcopo Agriensi, nullis alioquin bonis possessionariis proviso, fuit tradita, sic idem nunc quoque fieri oporteat: praesertim, quum prouti necessitas postulat, episcopatum illum, inter caeteros praecipuum, quin idoneae et benemeritae conferamus personae, haud simus longiorem facturi dilationem. Cujus praelato quomodo de residentia et ejusmodi bonis alia provideamus via, prae manibus nihil habemus, nec ita subito aliquid beneficiorum vacaturum est, quo episcopo illi commodius, etiam ob vicinitatem, dum Viennae residemus, providere possimus. Quantum vero ad nepotem vestrum attinet, quum ille nec studia sua perfecerit, neque adhuc in sacris sit, facile illa carere, et a vobis auxilio alterius beneficii, quorum pleraque in ecclesia vestra vacare solent, in continuandis studiis suis juvari poterit. Quando vero eam illius habilitatem cognoverimus, ut majori promotione dignus videatur et sacris initiari voluerit, non deerunt nobis semper occasiones, quibus illi etiam in majoribus providere possimus. Quae cum ita se habeant, fidelitatem vestram hortamur, atque etiam committimus vobis, ut praeposituram illam ad manus camerae nostrae Hungaricae, dum per eam requisiti fueritis, remittatis, neque moram aut difficultatem in hoc ulteriorem faciatis, quum haec sit deliberata nostra voluntas. Secus non facturi. Datum in arce nostra regia Pragensi, quarta die mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo. Maximilianus m.p. Joannes Listhius electus Vesprimiensis etc. m.p.

Eredeti. 2381. fol. lat. a nemzeti muzeum kéziratai között.

LVIII.

1570. sept. 1. Reverendissimo, nobis sincere dilecto Antonio Verancio, archiepiscopo ecclesiae et comiti perpetuo comitatus Strigoniensis, primati Hungariae, legato nato, supremo regni cancellario et consiliario sacrae caesareae majestatis etc. amico nobis charissimo. Cito, cito, cito. Presburg.

Verancsics kezével : Redditae Wywarii 5. Septembris 1570.

Carolus, Dei gratia archidux Austriae, dux Burgundiae, comes Tyrolis etc. Reverendissime, nobis sincere dilecte, amice charissime. Sacra Romanorum caesarea majestas, dominus et frater noster colendissimus, longo nunc usu experta est, quam inutiles sumptus incurrerit aliquoties propter incertos et dubios hinc inde de Turcarum machinationibus illatos rumores et perperam dispositos exploratores. Ut autem inposterum hoc praecaveatur, sua majestas deinceps meliorem superinde ordinem instituere, neque ullis propterea sumptibus parcere decrevit. Qua vero optima ratione, quibus mediis id fieri debeat, ut non solum hic in propinquis sed in interioribus Hungariae locis, et in ipsa etiam Constantinopoli certior habeatur exploratio, majestas caesarea vestram et aliorum peritorum rei sententiam proinde exquirere manda-

vit. Itaque nomine caesareae majestatis vos benigne requirimus, ut negotium sicuti magni est momenti, accurate perpendatis, et qua via, quibus mediis ad certitudinem meliorem rerum Turcicarum perveniri possit, nobis quam secretissime opinionem vestram declaretis, ut eam et aliorum etiam sententiam in ulteriorem deliberationem desumere, caesareaeque majestati significare possimus. Quo modo suae majestatis benignae satisfiet voluntati. Nostram vobis simul benevolentiam deferentes. Datum ex Nova Civitate in Austria, die primo mensis Septembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo. Carolus m. p. Ad mandatum domini archiducis proprium (olvashatlan név) H. Fieringer m. p.

Eredeti. 1542. fol. lat. a nemz. muz. kéziratgyűjt.

LIX.

Muztaffa bassae Budensis ad Antonium Verancium requisitoriae, ne Marosienses, oves depellentes detineri curet, cum ad suam ditionem pertineant. Datum Budae, 12. Septembris, 1570. Originale Hungaricum. *Kovachich Script. rerum hung. minores, II. k. 418. l.* *)

*) Jelen szám lappang valahol.

LX.

Domino archiepiscopo Strigoniensi.

1570. nov. 7. Maximilianus etc. Litteras fidelitatis vestrae de 25. Julii vertentis anni ad nos datas benigne accepimus. Cum autem non ita pridem superinde serenissimo fratri nostro Carolo etc. perscripsissemus, ut nostro nomine Camerae nostrae Hungaricae demandaret, quo cum fidelitate vestra ejus rei gratia transigeret: significavit nobis praeteritis diebus sua dilectio, fidelitatem vestram illam transactionem, quamvis ab aequitate non discrepasset, repudiasse; cum autem eam non fugiat, pensionem sex mille florenorum annuam ad nullos alios usus, quam ad intertentionem militum nostrorum praesidiariorum Bakabaniae existentium destinatam esse, quorum quidem solutio, siquidem singulis mensibus omnino fieri non possit, ultra angariarum terminum diferri nequaquam potest, quemadmodum fidelitati vestrae optime constare putamus. Quapropter eam his denuo benigne requirimus, hortantes, ut praedictae transactioni secum initae non gravatim annuat, quo facto quae ad possessionem ipsius pisceti fidelitati vestrae tradendam necessaria fuerint, ut sine ulteriore mora expediantur, pretiumque arrendationis decimarum, quae a Camera Hungarica petuntur, statis terminis fidelitati vestrae solvatur, mandabimus. Pollicemur autem nobis omnino, fidelitatem vestram pro sua in nos observantia, hac in re se obsequentem praebituram. Id

quod fidelitati vestrae ad suas clementer significandum duximus. Exequetur etiam praemisso modo benignam ac certam voluntatem nostram. Datae Spirae VII. Novembris anno MDLXX.

Egykoru másolat. Hevenesi-kéziratok, XXX. fol.

LXI.

Reverendissimo in Christo patri, domino Antonio Verancio, archiepiscopo ecclesiae Strigoniensis, primati Hungariae, legato nato, summo et secretario cancellario per Hungariam et consiliario nostro etc. fideli nobis sincere dilecto. 1571. sept. 29.

Verancsics kezével: Redditae Viennae 10. Octobris 1571.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc. Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Postquam peractis hoc fere biennio per Sacrum Romanum Imperium et regnum quoque nostrum Bohemiae magni momenti negotiis, quorum causa nos paulo longius et diutius ab regno isto nostro Hungariae necessario abesse oportuit, ex clementia Dei incolumes huc reversi sumus : prima et praecipua nobis cura fuit, ut, quemadmodum confectis illic, ex animi nostri sententia, singulis, haud inutilem illa nostra absentia regno quoque isti nostroHungariae, in iis, quae ad ulteriorem illius defensionem, salutem atque permansionem spectant, navavimus operam : ita nunc quoque praesentes, prima, quam in ordine nostro nancisci potuimus, commoditate, ea, quae ad bonum et salutarem

ejusdem regni nostri statum pertinent, publicaque et privata fidelium regnicolarum nostrorum negotia concernunt, curanda et tractanda aggrediemur. Hac itaque de causa generalem universis statibus et ordinibus regni ejusdem nostri conventum, ad festum sancti Martini episcopi et confessoris, hoc est, undecimum diem mensis Novembris proxime venturi, ad civitatem nostram Posoniensem indicendum et promulgandum, eidemque personaliter, Deo dante, praeesse decrevimus. Mandantes fidelitati vestrae firmiter, sub poena decreti, ut ad diem et locum praedictum eidem generali conventui interesse, ibique cum caeteris fidelibus regnicolis nostris, publica regni nostri negotia tractare et de illis in medium consulere debeatis. Curetis autem diligenter, ne ultra diem praedictum emaneatis, sed in ipso apud nos praesto compareatis. Secus non facturi. Datum Viennae vigesima nona die mensis Septembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Maximilianus m. p. Joannes Listhius episcopus Vesprimiensis etc. m. p.

Eredeti. Hevenesi-kéziratok. XXX. fol.

LXII.

1572. febr. 22.

Reverendissimo in Christo patri, Antonio Verancio, archiepiscopo Strigoniensi locique ejusdem comiti, primati Hungariae, legato nato, summo per regnum nostrum Hungariae cancellario ac consiliario, devoto fideli sincere nobis dilecto. Cito, citissime, cito, citissime, cito.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator ac Hungariae et Bohemiae etc. rex. Reverendissime in Christo pater, devote fidelis et sincere nobis dilecte. Litteras devotionis tuae vigesima prima Februarii datas accepimus, et ex illis libenter intelleximus, praelatos et barones ac comitatuum nuncios cum caeteris regnicolis tanto jam convenisse numero.

Quod ad serenissimos et charissimos filios nostros attinet, illi hac ipsa hora versus Mayerhegkh iter ingrediuntur, ubi pernoctaturi, et reliquum itineris ita instituturi sunt, ut die crastina circa horam secundam, Deo volente, Posonium pervenire possint.

Quae vero devotio tua et de loco et de modo eos excipiendi scribit, illa a nobis benigne probantur, cum et ipsi judicemus, hoc commodius institui posse. Id quod ad memoratas devotionis tuae litteras benigne respondere voluimus. Eidem, quod superest, gratiam nostram caesaream regiamque clementer deferentes. Datum in civitate nostra Vienna, die vigesima secunda Februarii anno Domini MDLXXII., regnorum nostrorum, Romani X., Hungarici IX., Bo-

hemici XXIIII. Maximilianus m. p. Vt. Joannes Baptista Weber m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium A. Erstenberger m. p.

Eredeti. 2381. fol. lat. a nemzeti muzeum kéziratai között.

LXIII.

1572. maj. 29. Reverendissimo in Christo patri, domino Antonio Verancio, archiepiscopo Strigoniensi, locique ejusdem comiti perpetuo, primati Hungariae, legato nato, summo et secretario per Hungariam cancellario ac consiliario nostro, fideli nobis sincere dilecto. Cito, cito, cito, cito, cito, citissime. Posonii.

Verancsics kezével : Redditae Posonii 2. Maji *) 1572.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc. Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Quum, antequam conventum pro futura coronatione serenissimi principis Rudolphi, archiducis Austriae etc. filii nostri charissimi, in proxime praeterita generali fidelium regnicolarum nostrorum diaeta decretam, litteris nostris promulgemus : habeamus non pauca eaque ardua, de quibus fideles nostros consiliarios Hungaros audire, et non prius, quam intellectis illorum sententiis, deliberare velimus : vos quidem huc ad nos propterea quamprimum advocandos censuimus. Et propterea fidelitatem vestram hortamur, eidemque firmiter committimus et mandamus : ut statim, ubi has nostras acceperitis, itineri vos commit-

---

*) Tollhibából : ‚Junii' helyett.

tatis, et ad duodecimum diem proxime instantis mensis Junii apud nos certo compareatis, nulla facta cujuslibet rei excusatione, nisi forte valetudo, quae iter nullo modo sufferret, vos excusaret. Secus non facturi. Datum in civitate nostra Vienna Austriae, vigesima nona die mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. Maximilianus m. p. Joannes Listhius electus Vesprimiensis m. p.

Eredeti. Hevenesi-kéziratok XXX. k. fol.

LXIV.

Reverendissimo in Christo patri, domino Antonio Verancio, archiepiscopo Strigoniensi, locique ejusdem comiti perpetuo, primati Hungariae, legato nato, summo et secretario per Hungariam cancellario et consiliario nostro etc. fideli nobis sincere dilecto. 1572. jun. 28

Verancsics kezével : Redditae Viennae 9. Julii 1572.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc. Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Meminisse potestis, qua instantia et sollicitudine in proxime celebrato generali conventu Posoniensi fideles nostri, universi status et ordines regni nostri Hungariae unanimiter nobis supplicarint pro coronando in legitimum successorem nostrum, regem scilicet Hungariae, serenissimo principe Rudolpho, archiduce Austriae etc. filio nostro charissimo. Quod tunc ab eisdem omnibus grato et clementi animo accepimus, simulque benigne respondimus, ejus rei quamprimum ad optatum finem deducendae nos sedulam curam ha-

bituros. Cum igitur nunc quoque ejus animi simus, ne ulterius ea solennia differantur, sed primo quoque tempore rite peragi queant : visum est nobis, ut quemadmodum in novissimo isto conventu mentem superinde nostram eisdem fidelibus statibus significaveramus, ad festum nativitatis beatissimae virginis Mariae proxime futurum, universis fidelibus nostris, praelatis, baronibus, nobilibus, caeterisque statibus et ordinibus regni nostri Hungariae generalem congregationem seu dietam, in civitate nostra Posoniensi celebrandam, ibidemque ipsam coronationem (quam Deus Optimus Maximus fortunare velit) debito modo perficiendam promulgaremus. Cui quidem dietae nos ipsi, Deo volente, personaliter interesse in animo habemus. Fidelitati itaque vestrae harum serie committimus et mandamus, ut sub ea poena, quae in decreto continetur, ad dictum festum nativitatis beatissimae Mariae virginis Posonium personaliter venire et coronationis ipsius solennitati eo ordine et apparatu, qui hujusmodi celebritatem maxime decebit, interesse non negligatis : tractaturi eodem tempore etiam de aliis omnibus, quae ad publicam regni nostri salutem et tranquillitatem pertinere videbuntur. Secus non facturi. Datum Viennae, vigesima tertia die mensis Junii anno Domini MDLXXII. Vesprimiensis etc. m. p. Nicolaus Istuanffy m. p.

Eredeti. 1542. fol. lat. a nemz. muzeum kéziratai között.

TARTALOM.

Lap.

Lap.

TOLDALÉK.